Boot, Johann Cornelis Gerard
Observationes criticae

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

M. TULLII CICERONIS EPISTOLAS.

SCRIPSIT

IOHANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT.

Edidit Academia Regia disciplinarum Nederlandica.

AMSTELODAMI,
APUD IOHANNEM MÜLLERUM
MDCCCLXXX.

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

M. TULLII CICERONIS EPISTOLAS.

SCRIPSIT

IOHANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT.

Edidit Academia Regia disciplinarum Nederlandica.

AMSTELODAMI,
APUD **IOHANNEM MÜLLERUM.**
MDCCCLXXX.

PRAEFATIO.

Anno MDCCCLXXVIII vocatus, ut aliquam otii partem consumerem in litteris latinis in recenti Universitate studiorum, quae Amstelodamum nunc ornat, explicandis, novi muneris initium duxi ab interpretatione epistolarum M. Tullii ad Q. fratrem, et cum ingenuis adolescentibus, qui me audiebant, quaerere coepi de varietate scripturae, quae in editionibus Orellianis, Baiteriana (Lips. 1866) eaque, quam curavit Alb. S. Wesenberg (ibid. 1872), invenitur. Ostendi saepius verba scriptoris in hac illave editione sic correcta esse, ut de sanitate dubitari non debeat, maximeque Wesenbergium, in sermonis Tulliani studio subtiliter versatum, in epistolis corrigendis fuisse felicem. Invenimus tamen, quae superiorum criticorum aciem effugisse aut nondum sanata viderentur. De quibus locis quid mihi decernendum videatur, in secundo capite harum Observationum explicabo.

Nam, ut servem ordinem epistolarum vulgo receptum, in primo capite dabo potiora ex iis, quae in Epistolis ad Familiares adnotavi, dum eas accurate relego.

Alia est origo animadversionum, quae tertio capite continentur. Nam ex quo tempore epistolas ad Atticum recensui commentarioque instruxi, quod factum est anno MDCCCLXV et sequenti, nunquam eas in longius tempus de manibus posui, sed saepissime in marginibus mei exempli adnotavi, qnae vel ab aliis recte observata inveniebam, vel quae ipse corrigenda aliterve explicanda existimabam. Ita sensim tanta adnotationum copia nata est ut, quando prior editio exhausta erit, alteram aliquanto meliorem adornare me posse, si per aetatem licebit, sperem. Nunc pauca inde deprompsi, quae partim defensionem scripturae a me receptae vel emendatae continent, partim in vitiis tollendis verbisque explicandis versantur.

In ultimo capite paucos locos attigi epistolarum Ciceronis et Bruti, quarum fidem post Car. Frid. Hermannum egregie nuper defendit Car. Gabr. Cobetus in Mnemosynes suae Vol. VII. N. S. p. 262—297, eodem labore de earum emendatione bene meritus.

Quum haec omnia absolveram et Academiae edenda obtuleram, in magno acervo chartarum Joannis Schraderi, Professoris Franequerani, manu scriptarum, quae nunc in bibliotheca Academiae Leidensis servantur, inveni fasciculum, qui continet quae vir doctissimus breviter adnotavit ad octo libros priores Epistolarum ad Familiares. Legi, examinavi et quae utilia inesse visa sunt meis adieci auctore laudato.

In his elaborandis non vanum laborem me posuisse putabo, quando aequi et periti iudices saepius me verum invenisse, nonnunquam, ubi erravero, veri inveniendi viam aliis munivisse censebunt.

OBSERVATIONES CRITICAE

AD

M. TULLII CICERONIS EPISTOLAS.

CAPUT I.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES LIBRI PASSIM EMENDANTUR ET EXPLICANTUR.

I. 1, 2. *Marcellinum tibi esse iratum scis: is hac regia causa excepta ceteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.* Qui in una re ab aliquo dissentit, eique resistit, in ceteris acerrime eum defendere cupit idque prae se fert, potestne ei *iratus* esse dici? Non credo, nec credidit Io. Schraderus pro *iratum* coniiciens *gravem*. Sed hac correctione difficultas non tollitur, nisi additur *in hac causa* vel aliquid, quo indicetur hoc restringi ad solam quaestionem de rege reducendo. Veterem coniecturam, qua pro *tibi* scribitur *regi*, cum Martyni-Laguna et Schutzio probarem, nisi *tibi* potius eo duceret, ut Ptolemaeum Romae ab adversariis ex cognomine designatum esse crederemus, itaque scribendum cum viro docto ab Orellio in ed. 1 laudato: *Marcellinum tibicini esse iratum scis.*

I. 4, 1. *Quum — unum certamen esset relictum sententia Volcacii.* Haec librorum Mss. scriptura vera esset, si *certamen* posset indicare id de quo certatur, certaminis obiectum, cui explicando inserviret per appositionem *sententia Volcacii.* Sed hoc est poetarum, ut in Corn. Severi de Aetna v. 1—4 *Aetna mihi — carmen erit.* Paulo aliter in Vergilii Ecl. VII, 16, ubi legimus *Et certamen erant Corydon cum Thyrside magnum*, ipsi certantes vocantur *certamen.* Ciceronis esse puto: — *certamen esset relictum cum sententia* V., ut Wesenbergius edidit male post *relictum* distinctionem addens.

I. 7, 10. *Omnia, quae ne per populum quidem sine seditione se assequi arbitrabantur, per senatum consecuti sunt.* Sic nunc editur e cod. Med. Victorius, Lambinus, alii scripserunt: *se assequi posse arbitrabantur.* Cum Ernesto verum puto *se posse assequi arb.* Saepe *posse* cum infinitivo praesentis temporis ponitur pro futuro. cf. Fam. II, 6, 5 *eam unius tuo studio me assequi posse confido.* p. Rosc. Am. 6 *sese — non arbitratur huius innocentis patrimonium — posse obtinere.*

I. 8, 3. *Quae enim proposita fuerant nobis — dignitas in sententiis dicendis, libertas in re p. capessenda, ea sublata tota sunt, nec mihi magis quam omnibus.* Ita h. l. cum Madvigio ediderunt Baiterus et Wesenbergius. E cod Med. affertur: *tota si nec*, in aliis editt. est: *tota; sed nec.* Codex Amst. [1]) confirmat meam coniecturam *fuerat.* E *si* non minus facile eruitur *est* (*st*), quam *sunt* (*s̄t*). Itaque scribendum: *Quae enim proposita fuerat nobis — dignitas in sent. dic., libertas in re p. cap., ea sublata tota est, nec mihi magis quam omnibus.*

I. 9. Mense Maio anni MDCCCLXX de quinque locis huius epistolae disputavi in ordine litterario Academiae regiae disciplinarum, eaque disputatio edita est in sec. serie Actorum, Vol. I. p. 173 seqq. Quum patrio sermone scripta sit, potiora inde depromam resectis iis quae improbanda vel omittenda videntur. In § 4 omnes codd. et editt. habent: *Ego me, Lentule, initio rerum atque actionum tuarum non solum meis sed etiam reipublicae restitutum putabam.* Ad verba *initio r. a. a. tuarum* P. Manutius adnotavit: „Non quo primum tempore Lentulus de eo restituendo coepit agere, sed cum primum restitutus est, ut e sequentibus apparet. Dicit enim *initio actionum tuarum*, pro, initio reditus mei, qui actio tua fuit.'' In hac interpretatione Gronovius, Graevius, Ernestus, alii acquieverunt eamque silentio suo comprobarunt. Ego reiiciendam censeo. Recte ille quidem monuit hic non agi de initio consulatus Lentuli, sed de illo tempore quum Cicero ab exilio revocatus esset, quod mense Sextili eius anni per legem factum est. Sed vim affert verbis, primum nullam rationem habens vocabulorum *rerum atque*, deinde *actionum* interpretatus de una re, quae ex pluribus Lentuli actionibus orta erat. Verba nihil indicant nisi prima tempora consulatus Lentuli, in quibus Cicero nec restitutus est nec se suis et reip. restitutum putare poterat. Duplici ratione sanari possunt. Nam aut *initio* adverbii vim habet idemque indicat quod in § 5 dicitur *primis temporibus illis*, brevi post reditum,

---

[1]) Liber nitide in membranis scriptus saeculo, ut videtur, XV, servatur in Bibliotheca Universitatis stud. Amstelodami. Continet Epistolas ad Familiares, ad Brutum, I. 17 et 16, ad Octavium. Graevius eo usus est et saepius eius lectiones indicavit, cum in adnott., tum in variis lectt. editioni suae Amstel. 1684 additis.

ut VI, 6, 4 et omissus est ablativus nominis unde pendent genetivi *rerum atque actionum tuarum*, aut vitiosum est voc. *initio*. Quum reputo quoties in his epistolis vocabula a librariis omissa sint, illud probabilius existimo. Nondum displicet, quod olim proposui *cursu*. Sic habemus *cursum rerum*, ut in L. IV. 2, 3, pro quo VI. 5, 2 *natura rerum et temporum cursus* legitur et *de suarum actionum cursu deflectere*, VIII. 11, 2. Facilius tamen excidere potuit *vi* post *initio*, idque munire licet his exemplis, Fam. II. 7, 2 *vides quanta vis in rep. temporum sit*, IV. 13, 2 *vis et mutatio omnium rerum atque temporum*. Off. I, 144 *tanta vis est et loci et temporis.*

I. 9, 16. Cicero reiicit vulgarem opinionem Q. Metellum Numidicum post reditum animo fracto et demisso fuisse, his verbis: *est vero probandum, qui et summa voluntate cesserit et egregia animi alacritate afuerit neque sane redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse, in quo quum omnes homines tum M. illum Scaurum, singularem virum, constantia et gravitate superasset.* Schutzio haec omnia glossatoris manum potius, quam Ciceronis stilum prodere videbantur. Atqui si delentur, in sequentibus plura mutanda sunt. Verba ironice dici vidit Manutius idque indicari particula *vero*. *Est vero probandum* rogantis est, possitne revera probari, quae quaestio continet negationem. Frustra in his haeserunt Orellius et Baiterus, qui immerito uncis inclusit. Ego vero haereo in verbis *ob id ipsum* et *in quo — superasset*, scribendumque coniicio: *eum odio paucorum fractum fuisse iniquo, quum omnes homines, etiam M. illum Scaurum constantia et gravitate superasset.* Verba *singularem virum* glossatori tribuo. Cicero pronomine *illum* nomini adiecto satis eum designat. ut non unum de multis.

Paullo post libenter accipio, quod nonnulli libri scripti et editt. antiquiores dant *quae declarasset* pro *quum declarasset*. Minus recte hoc velut ex aequo interponitur verbis: *quum res p. daret*, et *quumque Metellum — reciperavisset.*

I. 9, 18. *Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendae rei p. fuisse, quod, quum offendisset populum Atheniensem prope iam desipientem senectute, quumque eum nec persuadendo nec cogendo regi posse vidisset, quum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur.* Quotiescunque ad h. l. redeo, non potuisse tam perturbatam sententiam a Platone scribi, nec Platonis mentem ita a Cicerone obscurari existimo. Nam quae est ista ratiocinatio: „Vidi populum non posse regi persuadendo; ergo ei persuaderi posse diffido"? qua vix melior haec: „Vidi populum non posse regi cogendo; ergo cogi fas esse non arbitror." Si in Platonis scriptis, quae supersunt, locus inveniretur, quem Cicero interpretatus vel imitatus est, facile verba emendari possent. Quum frustra quaeratur, ad coniecturam confugiendum est. Graevius et Ernestus protulerunt aliquid, quod nemini satisfecit. Io. Rossius in suae editionis harum Epistt. Vol. I, p. 378

resecari iussit verba *quumque eum nec persuadendo nec cogendo regi posse vidisset*, ut postea fecit suo arbitratu Schutzius. Sed neuter docuit, unde tanta interpolatio orta esset. Ego parvis mutationibus sententiam fieri posse tolerabilem puto. Post v. *senectute* sic scribatur: *quumque eum nec* suadendo *nec cogendo regi posse vidisset*, cui *persuaderi posse diffideret*, eum *cogi fas esse non arbitraretur*. Pro *persuadendo*, quod scribitur plerumque *psuadendo*, scripsi *suadendo*, ut his verbis aliud dicatur, quam quod sequitur *cui persuaderi posse diffideret*. Nam aliud est *suadere* i. e. consilia dare, exhortari, *συμβουλεύειν*, aliud *persuadere* i. e. adducere ad faciendum id quod volumus, *πείθειν*. Pro *quum* scribendum esse *cui* (i. e. *quoi* pro *quō*) Wesenbergio quoque in mentem venit. cf. Emend. alt. p. 2. Infinitivo *cogi* subiectum (*eum*) addidi, quod sententia requirit. Ita haec oritur sententia: Plato, quum vidisset populum Atheniensem nec consiliis nec vi regi posse, non dedit consilia, quibus eum tamen non obtemperaturum sciebat, nec adhibuit vim, quam non solum inutilem sed etiam illicitam existimabat.

I. 9, 23. *Scripsi — tres libros in disputatione ac dialogo „de oratore"*. Lambinus non dixit, cur *in disp. ac dialogo* alienum sibi et subdititium videretur nec fecerunt alii idem sentientes. Cicero illa addidit, ut formam operis, quod Lentulus nondum viderat, et quid *Aristotelio more* vellet, indicaret. cf. Bakii Schol. Hypomn. II, 26 et in Praef. ad libros de oratore p. VI. Recte Wesenbergius in Emend. alt. p. 3 praepositionem delendam monuit, coll. iis, quae sequuntur: *Scripsi enim versibus tres libros.* Sic Ennius in Ann. *Scripsere alii rem versibus.*

II. 5, 1. *Excelso — loco sita est laus tua.* Hic locus me monet, ut in Or. II de lege agr. § 55 verba a multis, nuper a Karstenio temptata, sed nondum correcta, coniectura emendare coner. Ibi legimus: *Vectigalia locare nusquam licet nisi in hac urbe hoc aut illo ex loco.* Naugerius verba *aut illo* deleri iussit, Kayserus *illustrissimo* vel *amplissimo*, Karstenius in N. S. Mnemosynes VI, p. 435 *auspicato* pro iis reponendum censuit. Ego verum puto *hoc excelso ex loco*, e rostris, quae foro et comitio excelsiora erant, ut scribit Fronto ep. II ad Anton. p. 98 ed. Naber.

II. 6, 5. *Ego ni te videre scirem, quum ad te haec scriberem, quantum onus officii sustinerem — plura scriberem.* Languent verba *quum ad te haec scriberem* et salva sententia omitti possunt. Sed quum in cod. Med. scriptum sit: *quam In te haec scriberem*, vide ne verum sit: *qua mente haec scriberem.*

II. 7, 3. *Quoniam sane feliciter et ex mea sententia rem publicam gessimus.* Recte Io. Schraderus probavit Ursinum *publicam* delentem, ipseque sustulit *mea.* Cicero in provincia feliciter rem gesserat, idque fecerat *ex sententia.* Sic enim

scribere solet, non additis *mea*, *tua*, *sua*. Praeter locos quos laudavi ad Att. IV. 14, 2 cf. Fam. I. 7, 5 *si rem istam ex sententia gesseris.* XII. 10, 2. *Si haec ex sententia confecta essent.* Att. III. 20, 1 *quum omnia essent ex sententia.*

II. 10, 2. *Locorum quibusdam angustiis et natura montium fretus.* „Je comprendrais plutôt „locorum natura et quibusdam angustiis montium" scribit C. Thurot in disp. de MS. Turonensi harum epistt., Parisiis a. 1874 edita, p. 11. Ne quis vocabula sic transponenda putet, moneo *loci* et *locorum angustias* notas esse e Salustii Cat. 58 et e Cornelii Datame 8, 4., et *naturam montium* non alienam esse a consuetudine loquendi, quum Cicero in alia epistola Fam. XV, 4, 4 *montis Amani naturam* ɔ: naturalem habitum vel conditionem laudet.

II. 12, 3. *Spem triumphi? inquis.* Assentior Wesenbergio in hac quaestione ellipsin esse non ferendam, sed non probo supplementa, quae proposuit in Emendd. alt. p. 4 et in adnot. crit. ad h. l. Leniori medicina verba sanari possunt, scribendo: *Spem triumphi mihi iniicis.* Facile post *mphi* omitti *mihi* et *inquis* ex *iniicis* depravari potuit. *Iniicere spem* non minus recte dicitur, quam *iniicere terrorem alicui* Fin. V. 31, aut *cupiditatem* Fam. XI. 10, 2. Quod his verbis subiicit Cicero se consulem iam satis gloriose triumphasse, ostendit spem triumphi non valde ei probari.

II. 17, 1. *Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto.* Assentior iis, qui *puerorum* delendum censent. Q. et M. Cicerones erant tunc *pueri*, et sic vocantur in ep. ad Att. VI. 1, 12, quum alibi *Cicerones nostri* dicantur, Att. V. 17, 3. 18, 4. Itaque per se non mirum est, si in epistola ad Salustium, qui eos fortasse non norat, *pueri* dicantur. Sed vox suspecta fit collocata post *causa.* Cicero enim semper genetivum praeponit, recteque in Laelio 57 nunc editur: *Quam multa enim, quae nostri causa nunquam faceremus, facimus amicorum*, non cum Mss. plurimis *facimus causa amicorum.* Insolitum ordinem *causa ludorum* ne in Livio quidem ferendum putavit Madvigius Emend. Liv. p. 473 sq.

II. 18, 3. *Si me audies, vitabis inimicitias et posteritatis otio consules.* Utor hac opportunitate, ut errasse me confitear quum olim ad Catilinariae primae § 22 et 29 dubitarem, possetne *posteritas* opponi praesenti tempori. Meliora me docere potuisset P. Manutii ad hunc locum adnotatio. Posteritas etiam in or. p. Rabirio perd. reo 29 in verbis *spe posteritatis fructuque duci* posterum tempus indicat.

III. 4, 1. *Libro augurali, quem ad me amantissime scriptum suavissimum misisti.* Bakius in Proleg. ad libros de Legibus p. XXI reposuit *suavissime.* Non probo. Liber ille eo ipso quod nomini suo inscriptus erat, Ciceroni fuit suavissimus. Non agitur de argumento libri, sed de inscriptione: *Appii Claudii Pulchri liber auguralis ad M. Tullium Ciceronem.*

III. 5, 4. *Pridie Kal. Sext. puto me Laodiceae fore, perpaucos dies — commo-*

rabor. Miror neminem obtemperasse Graevio *ibi* ante *perpaucos* inserere iubenti. Non recte abest, sed facilius ante *dies* negligi potuit.

III. 6, 3. *Triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent.* Cicero, qui optime sciebat quid in lege Cornelia, quam saepius laudat in his ad Appium epistolis (III. 6, 6. 10, 6), scriptum esset, non addidit *ut opinor*.

III. 7, 5. *Ut quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas, intelligas.* Quum Cicero scripsisset: *ut quid sit εὐγένεια intelligas*, usus vocabulo Graeco, quod ab Athenodoro definitionem petendam scribit, aliquis in margine interpretationem *nobilitas* adscripsit, ut factum est in cod. Amst., in quo vocabulo graeco spatium vacuum est relictum, in margine positum *nobilitas*. Appius opinor Graece satis doctus erat, ut non monendus esset εὐγένειαν Latine dici *nobilitatem*. Ergo deleantur *quid sit nobilitas*.

IV. 1, 2. *Res vides quo modo se habeat.* Magis Tullianum est quod J. F. Gronovius ad Senecam de Benef. IV, 32 et Jac. Perizonius ad Sanctii Minervam II, 5 in adn. 5 laudant *Rem vides, quo modo se habeat.* cf. de hac enallage nominis Gronovius et Drakenborchius ad Liv. II, 57, 3. Madv. Gr. lat. § 474 interpr. meae. Aliter Cicero scripsisset: *Res quo modo se habeat vides* aut *Vides quo modo res se habeat.* Sed quum hoc loco non de una re, verum de universo rerum statu sermo sit, cum Graevio scribendum: *Res vides quomodo se habeant.*

IV. 3, 1. *Quae esset tua in hoc pestifero bello cavendo et praedicendo sententia.* Quum cavere bellum maius sit et difficilius efficiatur quam praedicere bellum, ipse ordo verborum commendat Rossii coniecturam, qui sine ulla dubitatione *praecidendo* legendum putabat, laudans ex Horatio *Antenor censet belli praecidere causam*, verbique usum Tullio vindicans exemplis, quae e lexicis peti possunt.

IV. 4, 2. *Vitio — victoriae, quae civilibus bellis semper est insolens.* Sine iusta causa Kleynius (Obs. crit. p. 48) proscripsit verba: *quae — insolens.* Victoria natura sua est insolens et superba, ut dicitur in or. pro Marc. 9, sed maxime talis est in civilibus bellis. Sed praepositio *in* non magis h. l. abesse potest, quam in simillimo ex ep. 9 h. l., ubi recte est: *Omnia sunt misera* in *bellis civilibus — sed miserius nihil quam ipsa victoria.*

IV. 4, 5. *Res sunt eiusmodi, ut, si Romae sis, nihil praeter tuos te delectare possit; de reliquis, nihil melius ipso est, cetera eiusmodi, ut — audire ea malis quam videre.* Sic haec scribenda sunt. *te* in codd. omissum facilius ante *de* excidere potuit, quam post *nihil.* Ergo Baiterum in eo sequi malo quam Wesenbergium. *De reliquis* quum sit: quod attinet ad reliqua, recte sequuntur neutra *nihil* et *cetera*, minus recte ante *cetera* legitur *ceteri et.* Fortasse ea facta sunt e *caesare*, glossa inter versus scripta ad explicandum *ipso.* cf. Thurot, op. laud. p. 11.

IV. 6, 3. *Coniunctio consuetudinis* mihi aliquando suspecta fuit. Sed postquam vidi in ep. 20 lib. V, § 1 *coniunctionem necessitudinis* et in or. p. Plancio, 21 *coniunctionem vicinitatis* memorari, mutandi consilium abieci. Sunt genetivi obiectivi, indicaturque coniunctio, quae e consuetudine vel necessitudine vel vicinitate oritur.

IV. 7, 4. *Mytilenis* recentiores scribunt, et ad Att. V. 11, 4 et 6, VII. 7, 6 eandem formam in nomine urbis et incolarum ipse servavi. Quum tamen h. l. Mediceus teste Baitero det *Mitylenis*, et in illis locis corruptelae *emituleorum*, *Mithylenas*, *Metilenco*, eidem scripturae magis faveant quam adversentur, ubique in prima syllaba *i*, in altera *y* reponendum puto. *Mitylenae* quoque vocatur urbs in Periochis Liv. ex lib. LXXXVIIII, ubi Otto Jahnius nullam e libris scriptis scripturae varietatem adnotavit. Qua auctoritate eadem scriptura nitatur in Val. Max. VI. 5 ext. 1 et IX. 11, 4 in edit. Torrenii non traditur. In Horatii Carm. I. 7, 1 Epist. I. 11, 17 et in Martialis epigr. X. 68, 1, *Mitylene* meliores auctores habet quam *Mytilene*. Caeterum cf. Niebuhrii Scholae de geogr. ant. p. 220. et S. Obbarius ad Hor. Ep. l. l.

IV. 9, 2. *Primum tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum.* Miror editores non paruisse Ruhnkenio ad Vell. II, 23 verba *id est necessitati parere* delenti. Quid esset *tempori cedere* Marcellus non erat docendus.

IV. 12. 1. *Quoniam casus et natura in bonis dominatur.* Ab hac libri Med. scriptura plerique editores recedunt, *in nobis* scribentes et *dominantur*. Illud non optimum, hoc non necessarium iudico. Nam *casus et natura — dominatur* non minus recte dicitur, quam de Off. III, 46 *religio et fides anteponatur amicitiae* et similia. Quia autem casus non solum in Sulpicio et Cicerone, neque in solis Romanis dominatur, sed in omnibus rebus humanis, Io. Schradero assentior coniicienti *in omnibus*.

IV. 12, 2. *Qui — rogaret, uti medicos. Coëgi* etc. Ne Servium quidem *uti medicos* sine verbo scripsisse recte editores statuunt. Recentiores e vetere supplemento addunt *cogerem*, cui *coëgi* egregie respondet. Thurotus e cod. Turonensi sine dubitatione adsciscendam censet hanc scripturam: *uti medicos ei mitterem. Itaque medicos coegi* cet. Ego vehementer dubito, an eius libri tanta sit auctoritas, ut ea pro genuinis accipienda sint. Non indocti librarii manifesta interpolatio videtur. Ego nihil addendum puto, sed vitium latere in *uti*, pro quo si *cito* vel *subito* restitueris, iam nihil desiderabis. Postumius a Marcello graviter vulnerato Athenas missus erat, qui rem Servio nuntiaret et cito ipse rogaret medicos, non qui rogaret Servium, ut medicos cogeret. Quid enim? si Servium non invenisset, medici non erant rogandi?

V. 6, 1. *Non satis credidi homini prudenti tam valde esse mutatam voluntatem tuam.* Assentior iis qui in *prudenti* participium latere putant, sed nec Orellii *praedicanti*, nec Pluygersii *perhibenti*, quod Cicero nunquam sic usurpavit, ut monuit Madvigius Op. Acad. p. 200, probo. Scribe: *prodenti.* Quod sequitur in extr. §°. *obtinebatur* verissime a Pluygersio in *obtinebitur* mutatum est. vid. Mnemos. vol. XI, p. 290.

V. 10 *a*., 1. *Non desistam, quin illum aliquando eruam.* Ut Cicero ad Att. XIII. 30, 3 scripsit: *Mihi*, sicunde *potes*, *erue* (sic recte Bait., vulgo *erues*, Med. *eruere*), *qui decem legati Mummio fuerint*, non *si quando*, sic h. l. non tam temporis, quam loci notio requiritur. Itaque scrib. *quin illum alicunde eruam.* At recte in epist. praec., ubi de eadem re agitur, et loci et temporis adverbia cum verbo iunguntur: *illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit, et* inde *tamen* aliquando *eruam.* Deinde Catilii piratae crudelitatem Vatinius his verbis depinxisse putatur: *qui tot ingenuos, matresfamilias, cives Romanos occidit, abripuit, disperdidit, regiones vastarit.* P. Victorius oratorie et gravissime dictum existimabat, quod scelera in ingenuos, in matresfamilias, in cives commissa tribus verbis exaggerantur. Ego ne in Vatinio quidem tam ineptam orationem ferendam puto, ut graviori *occidit* subiiciantur leniora *abripuit* et *disperdidit.* Ex comparatione eorum, quae in § 2 sequuntur: *quid illis respondere possum qui* (*ob*) *sua bona direpta, naves expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos actiones expostulant?* illa sic emendanda censeo: *qui tot ingenuos, patresfamilias, cives Romanos occidit,* (*bona*) *diripuit, naves* (vel fortasse *urbes*) *perdidit, regiones vastarit.*

V. 12. In adnot. ad Epist. ad Att. IV. 2, 2 unum, ad IV. 6, 4 plures locos huius epistolae attigi et quo modo legendi essent monui. Addo nunc verba §. 5 *cuius studium in legendo non erectum Themistocli fuga redituque* (Matthiae coni. *exituque*, ego *reditusque spe tenetur*) *retinetur* levissimas ob causas a Meutznero in censura mei libri interpolatori esse tributa. Epaminondae rectissime Themistoclis ultima fata adiunguntur. — In §. 2 cur Wesenbergius *Phocium bellum* quam *Phocicum* scribere maluerit nescio. Graeci certe τὸν Φωκικὸν πόλεμον vocabant (vid. Strabo IX. p. 420 Cas., Steph. Byz. in v. Φωκίς) et a nomine gentis *Phocii* in or. in Pis. 96 adiectivum derivatur *Phocicus.* — In §. 4 Pluygersius recte vidit male scribi *vel in explicandis causis rerum novarum vel in remediis incommodorum* et ante v. *remediis* requiri gerundivum. Addidit *expromendis* (Mnemos. N. S. I p. 62); facilius excidere potuit *promendis.* cf. Att. IX. 18, 2 *promenda tibi sunt consilia.*

V. 13, 3. *Casus gladiatorii* non recte vocari ea quae saepius accidebant gladiatoribus, ut qui victi videbantur prosternerent adversarios, vidit Bakius et e

Crat. revocavit *casus gladiatorum.* vid. Mnemos. IX. p. 208. E genetivo illo, si scriptum erat *gladiatoru* facile adi. *gladiatorii* oriri potuit. Saepius in his nominibus peccatum esse idem vir doctus ostendit in Schol. Hypomn. I. p. 125.

V. 15, 3. *Quod enim esse poterat mihi perfugium spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis?* „Non domesticis ornamentis, sed solatiis, ornamentis autem forensibus. Nam cum eum rei p. calamitatibus moerentem consolari filia soleret, domesticum quoque illius morte solatium amiserat". Recte Manutius citans quae Cicero scripsit IV. 6, 2. Sed hoc non potest ita enuntiari, viditque Io. Schraderus Ciceronem scripsisse: *et forensibus ornamentis et solatiis domesticis* vel *et domesticis solatiis et forensibus ornamentis.*

V. 17, 2. *Quum tui familiarissimi iudicio ac periculo tuum crimen coniungeretur.* Iano Gulielmio *crimen* e praecedenti *in crimen vocabare* huc irrepsisse, itaque delendum esse existimanti assentiebatur Schraderus, quos recte iudicasse arbitramur.

V. 20, 5. *Nam de † lucceio est ita actum, ut — ista pecunia in fano poneretur. lucceio* nihil est. Requiritur idem nomen, pro quo in § seq. scriptum est *logaeo* (Med.) vel *logeo* (Amst.) Utroque loco Lambinus *de logeo* scripsit. Sed quid esset logeum nemo docuit. Cicero usus videtur voce Graeca, et scripsisse: *de ἐκλογείῳ. ἐκλέγειν* est exigere tributa et vectigalia, ut in Demosth. Or. *περὶ παραπρ* c. 81, *ἐκλογεῖς* sunt exactores. cf. Harpocr. in v. Bekkeri Anecd. p. 245, *ἐκλογεῖον*, quod Suidas interpretatur *ἡ ἐκλογάς*, id quod exactum est. — In § 6 scribendum videtur: *Sed si quid est, quod a me* (*quoniam* Med.) *de ἐκλογείῳ parum provisum est*, cet.

VI. 5, 3. *Quare ad eam spem — multum tribuit.* In corrigendo hoc loco vehementer corrupto longe a Madvigio, qui eum attigit in Opusc. Acad. p. 397, et cui in plerisque assentitur Wesenbergius, Em. alt. p. 13 seq., dissentiunt Jos. Krauss in Epist. emend. p. 21 et Jos. Frey in Adnott. ad Cic. epistt. a. 1873 in programmate Gymnasii Roesselensis editis, p. 7 seqq. Ego faciliorem Kraussii emendationem ita probo, ut in prima et in extrema sententiae parte nonnulla aliter scribenda putem. Totum locum a Krausio et a me correctum adscribam: *Adde eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, non solum propter dignitatem et virtutem tuam — haec enim ornamenta sunt tibi cum aliis communia — sed etiam, quae sunt tua praecipua, propter eximium ingenium summamque eloquentiam, quibus mehercules hic, cuius in potestate sumus, multum tribuit.* Initio delevi *quare*, quod ab hoc loco plane alienum est, nec mutavi in *cui rei*, quia Cicero solet scribere *adde* cum obiecto, *huc adde* vel *adde huc*, sed nusquam tales dativos adiecit. Deinde retinui verba *tua praecipua* in Med. servata,

quoniam iis quae alicui cum aliis sunt *communia* recte opponuntur, quae eius sunt *praecipua*. Cf. Att. XI. 14, 1. Fam. IV. 15, 2. Post *virtutem*, quae erat Caecinae cum aliis communis, non posse iterum nominari *virtutem* inter ea, quae ei erant praecipua, plures intellexerunt. Schutzius scripsit *eloquentiam*, quod summa eloquentia in Caecina laudatur in ep. 9, 1. Atque quum eloquentia esset illud ipsum bonum Caecinae, quo delectabatur Caesar et quo se violatum putabat, ut Cicero deinde scribit, coniecturam Wesenbergius et ego recepimus. Sed ego praeterea pro *cui* scripsi *quibus*, quia Caesar eximio ingenio Caecinae non minus tribuisse putandus est, quam eius eloquentiae. Si soli eloquentiae multum tribuisset, non erat cur Cicero eximium ingenium simul laudaret.

VI. 10, 5. Folium versum palimpsesti Taurinensis, quod P. Krugerus accurate descripsit in Hermae vol. V. p. 148 sq., nonnulla hic aliter scripta ostendit, quam e cod. Med. eduntur. Ex illo notavi *sed et in studio — et in rebus*, tum *cotidie magis mihi delabi*, deinde *ut simul cum rep.*, postremo *reviviscat et aliquando recreetur*, quae singula eiusmodi sunt ut veram Tullii manum servasse videantur.

VII. 1, 1. *Neque tamen dubito, quin tu in illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti et patefecisti Misenum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris.* Quae de h. l. ante decem annos in Academia regia disciplinarum disputavi, quaeque edita sunt in Actis eius litterariis Vol. I ser. sec. p. 179—184, non plane nunc probo. Recte monui *ex quo* non posse intelligi de tempore, quum Cicero semper plene scripserit *ex quo tempore*, itaque *ex quo* debere referri ad ea quae praecedunt; recte etiam defendi *patefecisti sinum*, quod idem deinde commendavit Ad. Kiesslingius in Musei philol. Rhenani vol. XXXII nov. ser. p. 636. Quum enim in codice Mediceo scriptum sit *patefecisti senum misenum*, idemque in apographo veteri inveniatur eraso *senum*, quod codex Turonensis et duo Bruxellenses solum habent, prima specie dubium videri potest *sinum* an *Misenum* verum sit. Nam quominus utrumque retineamus, id vetat, quod *sinus Misenus* nullus unquam fuit. Verum illa dubitatio tollitur cogitantibus e villa Marii Pompeiana, de qua hic agitur, ut e § 3 et ex ep. 3, 1 et 4 huius libri apparet, non potuisse conspici Misenum, quia acies oculorum tam longe intendi nequit. Conf. quae in simili re Cicero inducit Lucullum disputantem in Acad. II. 80. Haec olim recte vidi, sed in eo erravi quod verba *Stabianum perforasti et patefecisti sinum* sic interpretatus sum, quasi indicarent Marium perforato pariete sibi prospectum aperuisse in sinum Stabianum ɔ: in eam partem sinus Neapolitani, quae Stabias alluit. Nam neque *perforasti* potest carere obiecto, et adi. *Stabianum* verbis *perforasti et patefecisti* seiunctum a suo subst. *sinum* in carmine ferendum esset, in epistola vero talis collocatio verborum probari

nequit. Ergo dicendum est in illo *Stabianum* latere obiectum verbi *perforasti*. Quod quale fuerit quaerenti mihi se obtulit *tablinum*. Itaque scribendum censeo: *ex quo tibi tablinum perforasti et patefecisti sinum*. Quid fuerit tabulinum docet fragmentum e Varronis de vita populi Ro. libro I, servatum a Nonio p. 83 in v. *cortes:* „Ad focum hyeme et frigoribus coenitabant, aestivo tempore in propatulo, rure in corte, in urbe in tabulino, quod maenianum possumus intellegere tabulis fabricatum". Est igitur quod hodie appellamus *een balcon*, et *tablinum perforare* est perforato cubiculi pariete facere tablinum. Sinus autem nomine designatur totus ille *crater delicatus* (Att. II. 8, 2), qui terminatur promuntoriis Minervae et Miseno. cf. Strabo V. p. 247 Casaub.

VII. 1, 2. *In Equo Troiano creterrarum tria milia. Creterras* Paulus in exc. Festi p. 53 interpretatur vasa, derivatque a cratere, et Nonius p. 547 suo tempore *situlas* dictas esse docet. Sed quid movisset eos, qui Equum Troianum Naevii (cf. Macrobii Sat. VI. 1, 38) darent populo spectandam, ut tot vasa vel crateras in scenam promerent? Graevius aptiorem esse videns mentionem armorum, coniecit legendum *cetrarum*, suspicatus omnes qui ex equo ligneo prodiisse fingebantur eiusmodi clypeis fuisse instructos. Quod ita probo ut non illos clypeos, sed milites cetris tectos hic appellatos fuisse putem. Pro *creterrarum* itaque scribamus *cetratorum*.

VII. 2, 2. Agitur de condemnatione T. Munacii Planci Bursae. Ea se magis laetatum scribit Cicero quam morte P. Clodii, additque has rationes: *primum enim iudicio malo quam gladio, deinde gloria potius amici quam calamitate*. Primum illud satis manifestum est, alterum obscurum. Nulla enim in ea re erat gloria amici, sed ipsius Ciceronis, qui Bursam oppugnarat. Clodii vero mors coniuncta fuerat cum calamitate amici, Milonis. Itaque scribendum: *deinde gloria potius mea amici quam calamitate*, leniore remedio quam quo usus est Pluygersius in nova Mnemosyne Vol. I. p. 62: *deinde gloria propria potius quam amici calamitate*.

VII. 5, 3. *Simus enim putidiusculi, quam per te vix licet; verum, ut video, licebit*. Ex adnot. critica apparet Wesenbergium dubitare de loci integritate, eoque inclinare ut cum vetere editore *sumus*, cum Ernesto *quamquam* pro *quam* scribendum putet. Ego locum melius ab Henr. Stephano in Pseudocicerone p. CCXXXII seqq. intellectum et correctum existimo, dummodo adsciscatur, non quod Jos. Frei arbitratus est in *verum* latere *per eum*, sed *per hunc* (ut supra de eodem homine *hunc* et *huic* posuit) et pro languido *ut video* reponatur *utique*, quod Cicero in epistolis frequenter usurpavit. Cicero enim sola proxima verba *totum denique hominem tibi trado de manu, ut aiunt, in manum tuam istam et victoria et fide praestantem* respiciens scripsisse videtur: *Sumus enim putidiusculi, quod per*

te vix licet, per hunc utique licebit ɔ: utimur locutione aliquanto putidiore, quod vix licet quatenus tecum mihi sermo est, qui ipse oratione simplici et incompta uteris, quatenus sermo est de Trebatio certe mihi licebit. De commutatione vocum *quam* et *quod* vid. Drakenb. ad Liv. V. 51, 7. Permutantur quoque in Livii XXV. 31, 7 in responso Marcelli ad legatos Syracusanorum, cuius ultima verba sic in libris scriptis traduntur: *Omnium sibi laborum periculorumque — nequaquam tantum fructum esse, quod* (Med. *quam* Harl.) *capere Syracusas potuisset.* Madvigius in Emend. Liv. p. 298 inter *Syracusas* et *potuisset* nonnulla excidisse suspicatur. Al. Harant criticus Gallus locum sibi sanasse visus est scripto *tanti cum* pro *tantum.* Si mecum *tantum* mutaveris in *tenuem*, omnia plana erunt.

VII. 9, 2. *Battara mortuo.* Naekius ad Val. Cat. Diras p. 19 suspicatur Battaram fuisse cognomen ioculare Vacerrae, vel a Cicerone vel ab alio fictum, et quod in edit. Cratandrina pro *Battara* scribitur *Vacerra* esse alicuius grammatici explicationem. Suspicionem laudo et probabilem iudico. Quod deinde Cn. Octavius vel Cn. Cornelius quidam *summo genere natus* idemque *terrae filius* ɔ: homo obscurus et ignobilis, ut interpretatur Minucius Felix in Octavio, 22, appellatur, ex eodem genere ironiae explicandum, qua in inscriptione m. Octobri a. 1876 Pompeiis reperta et in Commentationibus Acad. Lynceorum Ser. III Vol I. p. 103 edita *Chadius Ventrio* vocatur *eques natus Romanus inter beta(m) et brassica(m).*

VII. 24, 1. De Tigellio hoc scribit Cicero: *eum addictum iamdudum* (sic recte Lamb. pro *iam tum*) *puto esse Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.* Gronovius aliique interpretes videntur *praeconio* habere pro dativo, qui pendeat ab *addictus.* Perperam; sine dubio est ablativus instrumenti. Neque *addictus* requirit dativum, sed indicat *condemnatum*, et velut libertate privatum. Nam addictus proprie est *quem lex servire, donec solverit, iubet*, ut scribit Quintilianus I. O. VII. 3, 26, qua vi *addicti* saepe dicuntur a Livio, VI. 14, 15, 20, 34 Qui plura cupit, adeat Arntzenium ad Publ. Vict. de V. I. XXI. 3.

VII. 25, 1. *Vereor ne in catonium Catoninos.* Ios. Scaliger e memoria haec citans in epist. ad M. Velserum, Epist. p. 363 affert: *Vereor ne Cato nos in catomium*, et interpretatur: *δέδια μὴ Κάτων ημᾶς τραχηλίζη.* Sed multo facilior est Cl. Salmasii explicatio, qui ad Spartiani Hadrianum, p. 49 *catonium* scribit, ut est in cod. Amst., et hanc esse verborum sententiam mouet: Vereor ne Caesar Catonis laudatores ad inferos mittat. cf. Laberii versus apud Gellium N. A. XVI, 7. Pro *Catoninos* scribe *Catonianos;* nam ut a Cicerone, Carbone, Othone, Tirone, Varrone derivantur Ciceronianus, Carbonianus, Othonianus, Tironianus, Varronianus, sic a Catone fit Catonianus. P. Victorius putabat *Catoninum* esse veterem nominis formam; sed nullo argumento hoc demonstra-

vit. Et cur Cicero obsoleta forma uteretur? *Παρήχησις* eo artificio non eget. At periret, si cum Loense, Misc. Epiph. III, 5 *catonium* in *charonium* mutaremus.

VII. 29, 2. M' Curius, qui a. 704 Tironem Patris aegrotantem diligenter curaverat, ut novimus ex epist. ad Att. VII. 2, 3 et 3, 12 Fam. XVI. 4, 5, 9, 11, in extrema hac epistola non potuit scribere, quod hic legimus *Tironemque meum saluta nostris verbis*, sed sine dubio scripsit *Tironemque nostrum saluta meis verbis*. Curius Tironem Ciceronis libertum, quem ipse diligebat, ad Ciceronem scribens, non poterat appellare *Tironem meum*, poterat dicere *nostrum*, ut M. Cicero ad Q. fr. scribens eius filium Q. solet vocare *Ciceronem nostrum*, ut II. 8, 1. 11, 4. III. 1, 14 vel *Cic. tuum nostrumque*, II. 12, 2. Idem rogare debebat Ciceronem ut ei salutem diceret suis verbis, id est, quando ipse scribit, *meis verbis*. Ita in simili re veteres constanter dicebant. cf. Cicero ad Att. XVI. 11, 8. Fam. IX. 6, 1. Ter. Hec. IV. 4, 98. Bremius ad Corn. Them. 4, 3. — Similem errorem Wesenbergius sustulit ex epistola Q. Ciceronis ad M. fratrem Fam. XVI. 16 pro *meam Tulliolam* reponens *tuam*.

VIII. 1, 1. *Tametsi tu scio quam sis curiosus*. P. Hofman Peerlkamp, qui aliquando ad priores quatuor litteras huius libri suspiciones suas in chartulam coniecit, quam vidi et descripsi, hic ut magis antiquum putabat esse scribendum: „*Tametsi te scio, quam sis curiosus*, ut *Novi te, qui sis* et alia." Ita Caelius h. l. 10, 3 scripsit: *Nosti Marcellum, quam tardus sit*.

VIII. 1, 4. *Quum manus ad os apposuit*. Qui arcanum alteri narrat eiusque silentium poscit, ne res pluribus narrata sibi noceat, non solet ambas manus, sed alteram, plerumque dextram ori suo admovere eaque leviter incurvata inferiorem vultus partem tegere. cf. A. de Iorio, la mimica degli antichi investigata nel gestire napolitano p. 293 sub lemmate: *Mano covrente il muso*. Itaque h. l. Ciceronis est *manum*, non *manus*, ut in simili locutione apud Q. Curtium VIII. 7. 2 (c. 24 ed. Zumpt.) ubi pater *ad os manu obiecta* filium ultra negat audiendum. Quando legimus in Petronii Sat. 64 *apposita ad os manu nescio quid taetrum exsibilarit* cogitandum est de flatu per digitos ori admotos emisso, qui fistulae acutum sonum reddit, de quo egit de Iorio op. l. sub v. *fischio* p. 162. *Digito compescere labellum* in Iuvenalis Sat. I. 160 eandem vim habet atque *manum ad os apponere*, etsi gestus est alius.

VIII. 2, 1. *Certe, inquam, absolutus est*. „Melius: *Certe, inquam: absolutus est*. Cicero scripserat: *Messala absolvetur*. Caelius responderat: *non absolvetur*." Peerlkampius.

Ibid. *Plane esse, quod ferri non posset*. *fieri* pro *ferri* coniecit idem.

Ibid. *Strepitus — rudentum sibilus*. „Videtur Pacuvii versus, quales laudantur a Cic. Divin. I. 14 et de Or. III. 39. Alius eiusdem est apud Serv.

ad Aen. I, 87. In *rudentum* ludit Caelius. Nam est funis et participium a verbo *rudere*, quod est asinorum." Peerlk.

VIII. 3, 1. *Hoc mihi certum ac iucundissimum vacanti negotium erat.* Lege: *h. m. certe — ac iucundissimum quidem — vacanti negotium erat.*" Peerlk.

Ibid. *Ut mihi non modo solus esse, sed Romae te profecto solitudo videatur facta.* Wesenbergius Emend. p. 94 sq. post *modo* addidit *ego*, quoniam Caelius totius urbis solitudinem suae opponit. Manet tamen dura ellipsis verbi *videar*, quam ut tolleret Peerlkampius scribi volebat: *ut mihi non modo solus* sim, *sed* Roma *te profecto solitudo videatur facta.* Potuisset comparare verba Livii XLV. 38, quae ad Satiras Hor. p. 196 pulcre emendavit: *Liternum domicilium et sedem fuisse domitoris Africae Literni sepulcrum ostendit*, quum in cod. Vindob. sit *Literni domicilium* et *ostendi.*

Ibid. *Non multum M. Octavium eorum odia, quae Hirrum premunt, quae permulta sunt, sublevant.* Egregie Wesenbergius Em. p. 99 pro inepto *M. Octavius — sublevat* restituit *M. Octavium — sublevant*, nimirum permulta odia, quae Hirrum premunt. Sed haereo in *eorum.* Nihil enim est, quo illud pronomen referri possit. Ernestus delevit. Non probo, neque quod Peerlkampius in eius locum scribi volebat *negotiorum.* Facilius ferrem *civium odia*, quae memorantur pro Mur. 47, pro Mil. 39, aut *fori odia*, quae non possum Ciceronis exemplo firmare, sed Taciti, qui *calliditatem fori* et *studia fori* scripsit in Agric. 9 et 39. cf. *fori severitas* in Quintil. I. O. VIII. 6, 24.

VIII. 4, 2. *Qua in re mihi videtur illud perquam venuste cecidisse — ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione et insidiis usus videretur in evitandis iis consiliis, qui se intenderant adversarios in eius tribunatum.* Victorius nihil in his mutare ausus est, etsi quaedam dura esse fatebatur. P. Manutius, si vel unus suffragaretur antiquus liber, legisset libenter: *ratione et* consilio *usus videretur in evitandis iis* insidiis. Utroque audacior Io. Schraderus et illam Manutii transpositionem probavit et ultima sic emendavit: *quas intenderant adversarii in eius tribunatum.* Hoc non laudo; nam *se intendere in aliquid* et *ad aliquid* sunt usitatae locutiones, et *evitare eas insidias, qui se intenderant* non est durior constructio, quam aliae in Caelianis epistolis obviae. C. F. Hermannus in Mus. Philol. Bonnensi Vol. V. p. 616 comparavit quae leguntur in senatus auctoritate h. l. 8, 8 *ex eo numero, quos in provinciam ire oporteret.*

VIII. 4, 3. *Nam M Caelium Vinicianum — promulgatio de dictatore subito deiecit et deiectum magno clamore insecuta est.* „Lege: *magnus clamor insecutus est.*" Peerlk. „Lege: *magni clamores insecuti sunt*" Schrad. Hoc melius illo.

VIII. 4, 4. *Mentio facta est de legione — quo numero esset, quo appeteretur.*

Quo numero esset recte ab Ernesto explicatum puto: „utrum ad exercitum Pompei an Caesaris pertineret", sed *quo appeteretur* nec est, quod Ernestus putabat, „quo consilio eam Caesar petiisset", nec ab aliis expediri potuit. C. F. Hermannus in Mus. Rhen. vol. V, p. 616 correxit: *quoad pateretur*, sed magis placet nescio cuius suspicio a Lambino prolata *et quando repeteretur*, sc. a Caesare.

VIII. 5, 1. *Nam si hoc modo moderari possemus, ut pro viribus copiarum tuarum belli quoque exsisteret magnitudo et, quantum gloriae triumpho opus esset, assequeremur periculosamque et gravem illam dimicationem evitaremus, nihil tam esset optandum.* Ita hic locus videtur scribendus. *modo* pro *more*, veterem nescio cuius correctionem, commendavit Wesenbergius Emend. p. 102. Est alliteratio. *moderari* est aequum facere modum. Ego sustuli *que* post *triumpho.* Si scribitur *quantum gloriae triumphoque opus esset*, *gloriae triumphoque* sunt dativi, et ad *quantum* e praecedentibus supplendum est *belli.* Ex mea ratione *gloriae* erit genetivus et quaeritur quantum gloriae, quae oritur e rebus bene gestis, opus sit ad triumphum. Senatus censebat essentne res triumpho dignae. Gloria, quae est consentiens laus bonorum, non decernitur a senatu, sed e rebus gestis nascitur. E Ciceronis responso de ea re Fam. II. 10, 2: *Ut optasti, ita est; velles enim, ais, tantum modo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis*, non liquet, utro modo Caelius scripserit. *que* male additum *triumpho* restituo post v. *periculosam*, ubi Lambinus aliique iam addiderunt.

Ultima epistolae verba a G. Kahntio in Symbolis crit. in Cic. epist. p. 9 recte sic emendata videntur, ut pro *Caesari qui* scribatur *Caesar iique qui.*

VIII. 6, 5. Curio narratur iactare i. e. palam dicere se laturum leges populares, *viariam*, cuius natura declaratur comparatione cum lege Rulli agraria facta, *et alimentariam*, cui describendae inserviunt verba: *quae iubet aediles metiri.* Sed aedilium mentio non erat pars legis praecipua; utrum hi an alii frumentum populo metirentur, homines minus curabant, opinor, quam quo pretio singuli modii darentur. Hactenus mihi convenit cum C. F. Hermanno in Ind. Schol. Gotting. a. 1853 p. 14. Sed non probo quod in *quas iubet aediles metiri*, ut scriptum est in Med., latere putabat *quae* (vel *qua*) *asse iubet a. m.* Saltem Caelius scripsisset *assibus*, ut pretium in legibus illis plurali numero indicari solet. Ego vero puto *quas* continere *qua S.* ɔ: *qua semissibus.* Itaque Curio sua lege liberalior etiam fuisset quam Saturninus, qui a. u. 654 *semissibus et trientibus* frumenti modios dividere voluerat, Rhet. ad Her. I. 21, sed minus longe progredi volebat quam P. Clodius trib. pl., qui lege sua frumentum populo *gratis* dedit. Ascon. in Pis., 9.

VIII. 9, 1. (Hirrus) *exspectationem corripit.* Cellarius explicat: „reprehendit eorum patientiam, qui Caesarem tam diu passi sint in provincia esse et adhuc

patiantur", secutus Manutium, qui v. *corripere* eadem vi poni in Ep. 2 *iudices corripuerunt clamoribus* monuit. Sed quum praecedat: *contra Caesarem sententias dicit*, non licet *exspectationem* ad alios referre quam ad Caesarem. *Corripere exspectationem* dicitur ut *corripere moras* (Ovid. Met. IX. 282), *corripere spatia* (Verg. Aen. V. 316), quae Rossius apte comparavit. Verba itaque sic explicanda videntur: Hirrus deminuit exspectationem de provinciis Caesaris. Cf. ep. 8, 4 *exspectatione Galliarum*.

VIII. 9, 5. *Pompeius tuus aperte non vult Caesarem et provinciam tenere cum exercitu et consulem esse: ipse tamen* cet. Ita edidit Wesenb. cum Lambino *non vult* addens et pro *consul* scribens *consulem esse*, monuitque in adn. *provincias* fortasse verius esse. Hoc verissimum puto; nam Caelius solet vocare *Gallias* et *de provinciis Caesaris* agere. vid. h. l. 4, 4. 9, 2. 14, 2. et cf. quae Wesenbergius in Emend. alt. p. 22 hac de re monuit. Illa minus probo. Collatis iis, quae sunt in ep. 11, 3 „Pompeius — valde non vult et plane timet Caesarem consulem designari prius, quam exercitum et provincias tradiderit" suspicor post *aperte* excidisse *timet*, et *consul* mihi videtur sic posse suppleri, ut fiat *consulatum*, nisi potius scribendum est *consulem fieri*, ut in ep. 14, 2.

VIII. 10, 5. *Tui consilii est, si tempus, si senatus coget — velisne perseverare.* Non nego haec ferri posse, verbo *coget* tam ad *tempus*, quam ad senatum relato. Sed quum cogito quoties in his epistolis aliquod verbum a librariis omissum sit, Caelium scripsisse existimo: *si tempus feret, si senatus coget.* cf. Cic. p. Caec. 75. *si tempus ita ferret.* Fam. XV. 4, 8 *si ita tempus ferret.*

VIII. 11, 4. Caelius Ciceronem iubet e commentario rerum urbanarum, quem ei mittit, seligere, *quae digna sunt*, multa utpote leviora transire. In his ponit *ludorum explosiones et funerum et ineptiarum ceterarum.* In ludis et in funeribus homines exsibilari et explodi potuisse scio, sed quid sint *explosiones ineptiarum ceterarum* non intelligo. Et plane ineptum est, quod additur: *plura habet utilia.* Quasi vero Cicero nunquam vidisset commentarium rerum urbanarum! aut quasi non satis erat dixisse: *ex quo tu, quae digna sunt, selige.* Vide ne sic scribendum et interpungendum sit: *multa transi, in primis ludorum explosiones et funerum, et* (quae) *ineptiarum cetérarum plura habet alia.* Nam hoc praefero aliorum coniecturis *inutilia* (ed. Neap.), *talia* (I. Guilelm.), *futilia* (Weisk.).

VIII. 14, 1. *Magna illa comitia fuerunt et plane studia ex partium sensu apparuerunt.* Nemo interpretum haec verba attigit, quae mihi quidem sunt obscurissima. E Wielandii interpretatione liberiore „Diese Comitien waren sehr wichtig, weil das Interesse der Parteien offenbar das Triebrad aller Bewegungen war" nihil lucis oritur. Schraderus adscripsit: „fort. leg. *studia partium ex sensu*". Nondum intelligo. Intelligerem sic scripta: — *et plane studia partium et sensus*

apparuerunt, vel etiam: — *et plane studia et sensus partium apparuerunt.* Sensus plur. num. dici ea, quae homines sentiunt, docent quae leguntur de Orat. I. 83. III. 223.

VIII. 15, 2. *Vellem equidem Venere prognatus tantum animi habuisset in vestro Domitio, quantum psecade natus in hoc habuit.* Caelius oderat L. Domitium, ut fatetur in ep. 12, 1. 14, 1. Itaque quum narrasset alium quendam Domitium necatum esse a quodam liberto, optat ut Caesar tam fortis fuisset in opprimendo illo Domitio. Sed scripsit sine dubio *in nostro Domitio.* — Recte autem editores non obtemperarunt C. F. Hermanno, qui non *Bellienus verna Demetrii*, sed *Bellieni verna Demetrius* paulo ante legendum esse coniecerat, usus hoc argumento nil servo cum nomine romano, quod inter Anniae gentis cognomina passim inveniatur. Vid. l. l. p. 16. Non cogitavit illo tempore multa cognomina plane pro nominibus esse usurpata et libertis data, ut Caepionem et Verrem. cf. Th. Mommsen, röm. Forsch. I. p. 51. Idem in Bellienis accidisse hinc discimus. Per contemptum idem fortasse Demetrius, quem Cicero non libenter videbat, Fam. XVI. 17 et 19, vocatur ibid. 22, 2. *nunc plane Bellienus.*

VIII. 17, 2. *Nostri valde depugnare et facile algere et esurire consuerunt.* Verbum *depugnare* sive valet idem quod acriter, valide pugnare, ut h. l., sive est ita pugnare, ut nulla pugna supersit, non admittit adv. *valde. de* male geminatum est, scribendumque *valde pugnare.*

IX. 6, 3. *Si essent nostri potiti.* Male Kleyn in Obss. crit. p. 36 negavit Ciceronem ponere v. *potiri* absolute et addi iussit *rerum.* Quum praecedat *victoriae* mentio, leniori remedio scribi possi: *si ea essent nostri potiti.* Sed usum verbi absolutum demonstrat locus ex epist. ad Att. VII. 12, 3 *iis me dem, qui tenent, qui potiuntur*, quem Forcellinus in voce laudavit.

IX. 6, 6. *Sed plus facio, quam Caninius mandarit; is enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires, ego tibi ea narro, quae tu melius scis quam ipse, qui narro.* Initio epistolae ponitur id quod Caninius mandarat: *Caninius noster me tuis verbis admonuit, ut scriberem ad te, si quid esset, quod putarem te scire oportere.* Solo verbo *rogarat* non indicatur a Caninio Ciceronem fuisse rogatum, ut scriberet. Orellius mendum tollere conatus est scribendo: *mandarit; ut scriberem enim is, si quid ego scirem, rogarat;* Krausius: *mandarit. Scriberem enim — rogarat*, quo modo Cicero nunquam locutus est. Ego iungens quae arcte iungenda sunt et verbo *rogarat* transposito scribendum esse censeo: *is enim, si quid ego scirem, quod tu nescires, (ut scriberem) rogarat*, cet.

IX. 7, 1. *Nam quod antea calumniatus sum*, cet. Cicero haec scribens cogitabat ea, quae ante duo fere menses scripserat ad Varronem ep. 2 h. l., ubi utitur eodem verbo *calumniandi*, quod habet vim utendi speciosis rationibus et suspi-

candi ea quae vera non sint. Ut ibi dicitur: *sed calumniabar ipse*, sic hoc loco non scripsit quod e Med. revocavit Wesenb. *te calumniatus sum*, sed id quod Manutius defendit *calumniatus sum*. Errore librarii ex *antea* repetitae sunt litterae *te*.

IX. 16, 1. *Delectarunt me tuae litterae, in quibus primum amavi amorem tuum, qui te ad scribendum incitavit.* Wesenbergius merito sprevit Kleynii coniecturam a Baitero temere receptam *animadverti* pro *amavi*. Si quid esset mutandum, pro illo scriberem *agnovi;* sed nihil mutandum est. *Amare* enim hic eadem vi ponitur, quam habet in ep. ad Att. *te multum amamus*, I. 3, 2; *volo ames meam constantiam* II. 10; *Alexidis manum amabam* VII. 2, 3. Ergo *amavi amorem tuum* dictum est pro: gratus et acceptus mihi fuit amor tuus. — Obiter moneo, quod nondum ab aliis occupatum vidi, post *primum amavi amorem tuum* Ciceronem voluisse addere *tum iocationes tuas*, sed pluribus interpositis in § 7 denique mutata orationis initio institutae forma sic perrexisse: *Nunc venio ad iocationes tuas.*

IX. 18, 1. *Discipulos obviam miseram, ut eadem me quam maxime conciliarent familiari suo.* Ita ediderunt B. et W. secuti cod. Med. Antiquiores editt. pro *eadem* habent *iidem*, quod dant alii codices, velut Amst. Utrumque vacat et delendum videtur.

IX. 18, 3. *Veni igitur, si vir es, et disce a me προλεγομένας, quas quaeris.* Iocum ex ambiguo, quem alii hic inveniunt, nullum video, nec intelligo quomodo προλεγόμεναι et praefationes in schola Ciceronis rhetorica et cibos lautiores designare possint. Cum Victorio mendum hic subesse existimo, partim certe tollendum scribendo: *disce a me προηγμένα, quae quaeris* ɔ: praecipua, quo vocabulo Stoicorum, cui opponuntur ἀποπροηγμένα in ep. 7, 2 h. l. memorata, tam declamationes quam cibi lauti poterant indicari.

IX. 24, 3. *Illi συμπόσια aut σύνδειπνα, id est compotationes aut concoenationes, nos convivia.* Plures puerilem interpretationem vocabulorum Graecorum delendam esse monuerunt. Recte Cicero in Laelio, 45, quum Graecis nominibus uti nollet, convivium opposuit iis, quibus Graeci utebantur, *qui hoc idem tum compotationem tum concoenationem vocant;* male h. l. nominibus Graecis subiunxisset interpretationem Latinam, qua Paetus non indigebat. Quum alio tempore ei Aristippi dictum Latine citasset, adscripsit: *Graece hoc melius; tu, si voles, interpretabere*, h. l. 26, 2. Quis credat Ciceronem ad eundem haec scribentem interpretationem vocabulorum Graecorum adiecisse?

IX. 26, 1. *Quod tu unum ζήτημα Dioni posuisti.* Sic scribendum videtur deleto *philosopho* post nomen Dionis. Repetiit aliquis e praecedentibus *te consulo, qui philosophum audis.* Hunc esse Dionem Paetus profecto non erat monendus.

X. 1, 1. *Itaque mihi maximae curae est, non de mea quidem vita* cet. Aut cum Lambino *de* delendum est, ut *mea vita* fiat subiectum sententiae, aut scribendum *maxima cura.*

X. 6, 3. *Quae tu in experiendo in ea ratione, quae te digna est, vera esse cognosces.* Sic Med. Vulgo delent alterum *in.* Sed longe felicior est Kleynii emendatio *inita ratione.* Eadem locutione Cicero usus est Fam. V. 20, 4. Verr. Act. sec. III. 110. de leg. agr. II. 67.

X. 12, 2. *Interim ad me venit M. noster, ut consuerat: at ego ei litteras tuas, nihildum enim sciebat.* Verissime monuit W. *at* e dittographia ortum videri. Eo deleto pro *ego* scribam *lego*, quum verbi ellipsis durior sit. Nam quod in nonnullis editt. post *litteras tuas* additum est *dedi* vel *ostendi*, nulla libri scripti auctoritate nititur.

X. 18, 3. Duas veteres coniecturas ab editoribus recipi oportebat, alteram Cl. Puteani in verbis *si quid intra cutem subest vulneris* ultimam vocem mutantis in *ulceris*, alteram Bern. Rutilii pro *nisi uno loco me tenerem* coniicientis *nisi uno loco metaremur* ɔ: nisi cum Lepido me coniungerem unaque castra haberemus. Nam aliud est quod legimus in ep. 23, 1. *nisi uno loco essem*, quod relatum ad ea quae sequuntur nihil aliud indicat, quam nisi cum Lepido uno loco essem. Plancus tamen melius quod vellet declarasset, si scripsisset: *nisi uno loco essemus.*

X. 24, 1. *Malo praesens observantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. Indulgentia* ab h. l. aliena videtur; nam ubi pro *obsequio*, quod ipsum vix aptum esset, ponatur non invenio. Lambinus idem putans coniecit *diligentia.* Mihi magis placet *industria.* Eandem coniecturam in Verr. Act. sec. I. 112 facienti Herelio recte non assensi sunt editores. Nam ibi sermo est de caritate patris in filiam, recteque *diligentia indulgentiaque* copulantur. Hoc vero loco inter observantiam et assiduitatem industria aptissime nominabitur. In sequenti sententia verba *in tua observantia, indulgentia, assiduitate* non corrigenda, sed delenda esse censeo. cf. Wesenberg, Em. alt. p. 35 sq.

X. 31, 2. *Quum non liceret mihi nullius partis esse, quia utrubique magnos inimicos habebam, ea castra fugi*, etc. Si Asinius Polio ita scripsit, turpiter erravit. Nam quum ex iis quae proxime haec verba praecedunt, tum ex vocabulo *utrubique* manifestum est agi de partibus Caesaris et Pompei. Ergo scripsit vel scribere debuit *neutrius partis.* Quae adduntur *quia* — *habebam* non explicant, cur non liceret neutrius partis esse. Nam si in utraque parte graves inimici essent, debebat potius ad neutrum se applicare eorumque exemplum sequi qui domi manserunt. Nodum solvamus cum I. F. Gronovio pro *quia* scribentes *qui*, et haec verba referentes ad ea quae sequuntur *ea castra fugi* etc.

X. 32, 3. *Illa vero iam ne Caesaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procos. sollicitandum posuit.* Nisi dure et insolite Asinius scripsisse putandus est, non ita scripsit; nam fabula non *ponitur*, sed *componitur* et *agitur.* Ita paulo post legimus: *et quidem, quum ageretur, flevit.* Ribbeckius, die röm. Tragoedie p. 625 praetextam a Balbo factam suspicatus pro *posuit* coniecit *composuit.* Ego malim: — *praetextam agi de suo itinere — poposcit* ɔ: iussit, voluit. cf. Ruhnk. ad Rut. Lup. II, XIX.

XI. 5, 3. *Cum hortatione non egeas, ut supra* (§ 1) *scripsi, non utar ea pluribus verbis, faciam illud, quod meum est* cet. Vel deleto *ea* faciamus Ciceronem de more scribentem, *non utar pluribus verbis*, sed paucis tibi omnia mea officia pollicebor, vel in *ea* latere *iam* (iā) suspicemur.

XI. 10, 5. *Septem numerum nunc legionum alo.* Etsi difficile est iudicium de stilo D. Bruti, cuius paucae epistolae supersunt, tamen non est nimis temeraria suspicio eum non tam perplexe scripsisse, quum dicere vellet se septem legiones alere. Sequerer Orellium emendantem: *Septem numero nunc legiones alo*, nisi alia correctio mihi etiam facilior videretur. Lego: *Septem* nimirum *nunc legiones alo.* Quum errore describentis *nimirum* in *numerum* transiisset, *legiones* in *legionum* mutari debebat. *nimirum* autem non otiosum est. Qui paulo ante scripserat: *alere iam milites non possum*, nunc addit: nimirum ɔ: revera septem legiones mihi alendae sunt.

XI. 21, 2. *Non quo veterem comederit — nullam enim habuit —, sed hanc ipsam recentem novam devoravit.* Nescio quid Schmidtius in Philologo, quem Baiterus laudat, de his verbis monuerit, sed *recentem novam* inepte dici intelligo, probaremque Kleynium, qui Obs. crit. p. 17 *novam* delevit, quod *vetus* et *recens* sibi opponi solent, nisi potius inter *recentem novam et* vel *ac* interponendum putarem, ut est p. Flacco, 13 *lege hac recenti ac nova.* Similiter *vetus atque antiquus* passim in Plauti fabulis, apud alios *priscus et vetus*, *priscus ac vetustus*, *priscus et antiquus* iunguntur. cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. I. 16.

XI. 27, 7. *Quapropter — ego te suffragium tulisse in illa lege — non credidi.* Haec verba ex epistola Ciceronis ad Matium accuratius quam adhuc factum est explicanda sunt. Primum observabo *suffragium ferre in lege* insolitam locutionem videri, et fortasse corrigendum *de illa lege.* Nam de Leg. III. 33 quod vulgo legitur: *suffragia in magistratu mandando ac de reo iudicando atque in lege aut rogatione clam an palam ferri melius esset*, iam Roberto Stephano suspectum erat et in Vahleni editione ita mutatum est, ut post *iudicando* scribatur *sciscendaque* pro *atque.* Tum quaerendum, quaenam sit *illa lex.* Paulus Manutius, quem aperte tacite alii interpretes secuti sunt, putabat agi de lege a. u. 705 a Caesare dictatore lata, cuius mentio fit in c. 1 libri III de B. Civ. Sed quum

ex ipsius Caesaris verbis (*constituit, ut arbitri darentur* cet.), tum ex iis, quae Suetonius in Caes. 42 („de pecuniis mutuis — *decrevit*, ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum" cet.), et Cassius Dio XLI. 37 de eadem re narrant, apparet id non lege, sed edicto dictatoris esse perfectum. Itaque *lex Iulia de pecuniis mutuis* s. *creditis*, quae laudatur a Rudorfio in Hist. iuris Ro. I p. 48 sq., nulla fuit, neque *lex* h. l. significata, nec *lex Caesaris*, qua Matius in ep. seq. § 2 rem suam familiarem deminutam esse queritur, cum illo edicto confundi debet. Sed in h. l. Ciceronis, fortasse etiam in Matii responso, indicatur lex „*qua de modo credendi possidendique intra Italiam*" cautum est, quam adversus foeneratores a dictatore Caesare latam scribit Tacitus Ann. VI. 16, quaeque certe una fuit legum, quas *περὶ τῶν συμβολαίων* a Caesare latas memorat Dio LVIII. 21. Cf. Ernestus ad Taciti l. l. Eiusdem autem legis si mentio fit apud Dionem XLI. 38, ubi Caesar narratur eiusmodi legem non primus rogasse, sed iam ante latam renovasse, dicendum est brevi post illud edictum hanc legem a Caesare fuisse latam.

XI. 28. Quo pulchrior est haec C. Matii epistola, eo magis videndum ne ullus in egregio corpore naevus relinquatur. Talem mihi videre videor in § 3 ubi legimus: *quae nunc, ut quidem isti dictitant libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur.* Sed Matius non vocabat eos homines libertatis auctores, ipsi se hoc nomine ornare solebant. Itaque uno vocabulo traiecto, altero addito, scribendum censeo: *quae nunc isti, ut se quidem dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur.* In § 5 vix dubito quin vox omissa sit in verbis: *Non faciam neque, quod displiceat, committam.* Nam Matius non poterat omnibus placere, omnibus se probare, neque volebat. Ergo ei dicendum erat, cui displicere nollet. Fortasse scripsit: *quod tibi displiceat.*

XII. 1, 2. *Habet illa* (sc. resp.) *quidem tantum — sed contenta non est et — a vobis magna desiderat.* Perperam Kleyn. de emend. Cic. epp. p. 47 *adhuc* a principio sequentis sententiae huc retulit, scripsitque: *desiderat adhuc. Ulta* cet. Cicero nunquam *adhuc* ultimo loco posuit. Sed sententia flagitat ut pro *magna desiderat* scribatur *maiora desiderat.*

XII. 10, 4. *Quod si, ut spero, victis hostibus nostris veneritis, tamen auctoritate vestra res publica exsurget.* Neminem haec verba morarentur, si *tamen* abesset. Quum adsit, aut post *veneritis* aliquid intercidisse videtur, velut quod propter litterarum similitudinem facile omitti potuit *bene erit; sin* — aut pro *tamen* scribendum est *tandem.*

XII. 13, 1 extr. L. Cassius adolescens scripsisse putatur: *meque ad optimam spem patriae non minimum tibi ipsi producendum putes.* I. Fr. Gronovius in scholis a Graevio editis post has epist. vol. II p. 304 haec verba sic interpre-

tatus: „ad optimam spem patriae, non minimam tibi ipsi, me provehas, tanquam de quo optima quaeque patria, et tu quoque non minima sperare possis pietatis officia", sententiam verborum optime assecutus videtur. Dativo *patriae* respondent dativi *tibi ipsi*, et optimae spei opponitur non minima. Itaque scribamus: meque ad optimam spem patriae, non *minimam* tibi ipsi producendum putes.

XII. 14, 3. P. Lentulus cum litteris ad S. P. Q. R. Perga missis, in quibus queritur de Rhodiorum iniuriis, simul scripsit ad Ciceronem, deque ea re utitur his verbis: *Rhodii nos et remp. quam valde desperaverint, ex litteris, quas publice misi, cognosces.* Quum ex illis litteris nihil appareat de desperatione Rhodiorum, sed manifestum sit eos sprevisse Lentulum et remp., probanda est Kleynii coniectura *spreverint.* Facilius enim ultima syllaba vocis *valde* geminata hinc *desperaverint* fieri potuit, quam si Cicero scripsit *despexerint.*

XII. 25, 1. *Pansa tuas literas recitavit: magna senatus approbatio consecuta est cum summo meo gaudio et offensione Minotauri, id est Calvisii et Tauri.* De veritate supplementi *meo* post *summo* nulla dubitatio esse potest. Alioquin approbatio senatus Minotauro simul gaudium et offensionem dedisse diceretur. Sed miror B. et Wes. tulisse ineptam *Minotauri* interpretationem, *id est Calvisii et Tauri*, quasi unius monstri nomine duo homines, iique nulla infamia insignes designari possent. Non dubito quin illo nomine notetur M. Antonius, *importunissima bellua*, ut in Phil. XIII. 22 appellatur. In litteris, quas Pansa consul in senatu recitavit, Cornificius videtur nuntiasse se non discessisse Africa, quam pro praetore obtinebat, quum Antonius ei Calvisium absentem praefecerat, ut in §°. seq. narratur. Quod additur: *Postulabatur, ut etiam illi notarentur* spectat ad duos legatos, quos Calvisius in Africa reliquerat, de quibus agitur in Phil. III. 26. Cornificius non admonitus facile poterat intelligere, quis diceretur *Minotaurus*, et quinam *illi* essent.

XIII. 9, 2. Kleynius, homo sagax in detegendis, audax in tollendis interpolationibus, plura in hac §°. notavit in puerilem modum adscripta veris et genuinis. In extremis autem verbis non solum *in ea societate*, sed totum illud *qui est magister in ea societate* secludere debuerat. Nam ea continent meram interpretationem verborum, quae Rupilii nomina praecedunt: *cuius praecipuum officium agitur hoc tempore.*

XIII. 26, 1. *L. Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi quaestor fuit.* Ernestus correxit *eo*, quod cum Schutzio reciperem, si *eo — quod* pro *ideo — quod* Tullianum esset. Legitur in Caesaris et Livii historiis, non in Ciceronis libris. Nam seiungendi ab hac quaestione loci, ubi *quod* sequitur post *eo magis* vel *eo minus*, ut Fam. III. 11, 3. Att. II. 16, 1. XV. 9, 2. Scribendum est *ea re — quod*, ut legimus Fam. XI. 2, 3, et ut ad Att. XI. 12, 1

e scidis Wirzeb. mecum Wesenb. reposuit: *ea re maxime quod ostendis*, quum superiores editores *ea re* omitterent, vel e correctione cod. Med. *eo maxime* ederent. Reiicienda est ergo Kleynii coniectura initio ep. 4 libri XIV pro *ego* reponentis *eo* et delentis *propterea*. Nam *propterea quod* frequens est in scriptis Ciceronis. Vide modo harum epist. V. 18, 1. IX. 18, 1 et passim in orat. pro Roscio Amerino.

XIII. 29, 7. *Hoc mihi velim credas, si quid fecerim — quod intellexerim scire — id fecisse —; quod fuerim* cet. Coniunctivi *intellexerim* rationem nullam video. Ciceronem scripsisse puto *intellexi*, quod librarius ad praecedens *fecerim* et sequens *fuerim* accommodavit. cf. Madvigii Adv. crit. II p. 234, qui idem observat.

XIII. 30, 2. *Peto abs te, ut eum — in meis intimis m. n. scias esse itaque tractes*, cet. Mira petitio et L. Manlio parum profutura. Kleynius op. l. p. 50 restitui iussit: *Peto — ut eum — cum in meis intimis scias esse, ita tractes* cet. Idem facilius obtinebis scribendo: „Peto abs te, ut *quem* — in meis intimis — scias esse, ita tractes cet.

XIII. 58. *Is causam habet, quam causam ad te deferet.* Immo: quam ad te deferet. Iteratio nominis post pron. relativum in tam brevi sententia inepta est, quando in eodem casu praecedit. In plurimis exemplis a Sanctio in Minerva II. 9 congestis nullum simile invenies.

XIII. 65, 1. *Eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat.* Agitur de civitatibus Bithyniae, quam provinciam P. Silius tunc pro praetore regebat. Sed quum nulla nominata sit, de *reliquis* civitatibus sermo esse nequit. Fortasse scribendum: — „ut pactiones cum civitatibus *de* reliquis (ↄ: de residuis solvendis) conficiat." cf. Fam. II. 13, 3 *publicanis etiam superioris lustri reliqua — conservaram.* Att. XV. 15, 3.

XV. 17, 2. *Mindius Marcellus et Attius pigmentarius valde gaudebant se adversarium perdidisse.* Nominantur duo sectores bonorum. Sed etsi Mindius Marcellus, Caesaris familiaris, qui in Appiani de B. C. V. 102 nominatur, hic intelligi potest, tamen *Attius pigmentarius* probabile reddit Mindium non illo cognomine, sed nomine artis, quam exercebat, hic designatum esse. Ex ingeniosa B. Weiskii coniectura *Mindius macellarius* cum Attio pigmentario h. l. prodibit.

XV. 18, 1. *Itaque facio me alias res agere, ne convicium Platonis audiam.* P. Manutius: „fingo me non servire, sed aliis rebus operam dare." I. Fr. Gronovius: „fingo me rerum mearum satagere et abstineo negotiis." I. G. Graevius: „fingo me non philosophiae, sed aliis rebus operam dare." Schutzius: „aliud agere me simulo." Vides hos omnes, etsi in sententia verborum explicanda in alia omnia eunt, conspirare in explicando *facio* per *fingo*. Sed nemo exempla protulit, in

quibus *facere* eam vim habere constat. Nec inveniri posse puto praeterquam in imp. *fac.* Frustra autem Cortius *facere* propria sua notione cum infinitivo iungi potuisse exemplo Servii Sulpicii ex ep. IV. 12, 1 defendit. Nam ibi Martini-Laguna et Wesenbergius post *visum est faciendum* pro *vos certiores facere* emendarunt: *ut vos certiores facerem;* et si vel maxime Servius illud scripsisset, Cicerone certe idem indignum est. Nam eorum, quae leguntur in ep. ad Q. fr. I. 3, 6: *Illud quidem nec faciendum est nec fieri potest, me diutius — in tam misera vita commorari* alia ratio est. Ibi acc. cum inf. *me — commorari* est epexegesis pronominis *illud* et quae sequuntur *ut — possim* pendent a verbis *nec faciendum est nec fieri potest.* Nec magis licet cum hoc loco comparare quod legitur in Cic. libello de opt. gen. orat. 17 *Isocratem Plato in Phaedro laudari fecit a Socrate*, ubi facere habet narrandi vel scribendi vim. Poetae sic locuti sunt, velut Vergilius Aen. II. 538 *nati me cernere coram letum fecisti.* Ergo *facio* vitiosum est. Corradus pro eo affert *scito.* Mihi in mentem venit *facile patior me alias res agere* ɔ: libenter aliis rebus vaco. cf. Att. XIII. 23, 1. *facile patiebar nos potius Romae una esse quam in Tusculano.* — Paulo ante, quae Cicero fingit Cassium sibi obiicientem, non ut vulgo creditur affirmative dicta sunt, sed quaestionem continent: *Ridere igitur — possumus?* cf. Att. X. 8, 4 *classibus adversabimur igitur?* p. Cael. 39 *dicet aliquis: haec igitur est tua disciplina?*

XV 21, 5. *Reliquum est, ut tuam profectionem amore prosequar, reditum spe exspectem, absentem memoria colam.* Aut scribendum duabus litteris geminatis *absentem te memoria colam*, aut cum Lambino *absentiam* corrigendum.

XVI. 8, 2. *Ego certe singulos eius versus singula eius testimonia puto.* Frustra Orellius et Krausius, Epist. emend. p. 36 se vexarunt, ut alterum *eius* emendarent. Recte Buechelerus vidit e prava repetitione natum esse et in sua Q. Ciceronis reliquiarum editione, quae Lipsiae a. 1869 prodiit, delevit, ut iam ante eum in Cratandrina, Lambiniana, Schiitziana omissum est. Testimonia fere idem sunt atque graves sententiae. In Euripide quot versus tot sententiae, quae fere testimonii vim habent. Ita Wielandus intellexit vertens: „bei mir gilt jeder seiner Verse so viel, als ein gerichtlich beschwornes Zeugnisz."

XVI. 11, 2. Caesar vituperatur, *qui exercitum et provinciam invito senatu teneret.* Ille vero non provinciam, sed *provincias* tenebat, Galliam ulteriorem et citeriorem, ut est in ep. 12, 3, sive *Gallias*, ut legimus ibid, 4 *ne Gallias amitteret.* Conferantur quae monuimus ad VIII. 9, 5.

XVI. 16, 2. *Si — mihi Statii fidelitas est tantae voluptati, quanti esse in isto* (Tirone) *haec eadem bona debent.* Pluralis *haec eadem bona* ostendit praeter fidelitatem Statio a patrono hic alterum bonum fuisse tributum. Wes. de Lambini

coni. edidit *fidelitas et frugalitas.* Mihi in mentem venit *fidelitas et utilitas*, cogitanti ad Att. VII. 5, 2 de Tirone Marcum affirmare eum mirabiles sibi utilitates praebere, ad ipsumque supra ep. 3 extr. scribere: „utilitatibus tuis possum carere." Pro utilitate in ep. 12, 6 ponit *operam.*

XVI. 18, 1. *Fac bellus revertare, non modo ut te, sed etiam ut Tusculanum nostrum plus amem.* Ita hic locus scribendus videtur, *ut* bis inserto. Nam si Cicero sententias non coniungere, sed absolute ponere voluisset, scripsisset *amabo.*

Ibid. 2. *Calface hominem, ut ego Mothonem; itaque abutor coronis.* Nil prodest ignoti hominis nomini alia substituere Mathonis vel M. Othonis, hominum aeque ignotorum. Sed quisquis ille fuit, de quo agitur, videtur conduxisse hortum Ciceronis tam aequis conditionibus, ut locatori saepius flores ministraret ad plectendas coronas. Quae suspicio si probatur, probabile est Ciceronem scripsisse: *itaque abundo coronis*, non illud quod codices ei h. l. tribuunt.

CAPUT II.

EPISTOLARUM AD QUINTUM FRATREM LIBRI TRES CORRIGUNTUR.

I. 1, 3. *Mihi crede, unus annus additus labori tuo multorum annorum laetitiam nobis, immo vero etiam posteris nostris afferet.* Quomodo prorogata provinciae administratio M. et Q. Ciceronum posteris laetitiam afferre potuerit, non intelligo. Aliqua fortasse inde gloria capi poterat. Quare verum censeo, quod in margine cod. Medicei pro *immo* scriptum est *gloriam.*

I. 1, 4. *Ne contrahas ac demittas animum*, ut scriptum est in Med., praefero scripturae a Wesenbergio e Crat. receptae, in qua pro *ac* ponitur *aut.* Nam locutio desumpta videtur a nautis, qui oriente tempestate vela contrahunt et demittunt. Cf. Fin. IV. 14 *animos demittunt et contrahunt*, et deinde *in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur.* Melius hoc modo his verbis respondent, quae sequuntur: *contraque te erigas ac resistas negotiis.*

I. 1, 13. *Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire, non in quas ficte et simulate quaestus causa insusurretur.* Franc. Hotomannus, cuius commentarius ad hanc epistolam repetitus est in editione Epp. ad Q. fr. Hagana a. 1725 p. 193 seqq., priorem sententiae partem vocat subobscuram nec sua interpretatione tenebras discussit. Quod in altera parte sequitur *insusurretur* in

aures postulat ut aures non simpliciter *audire* dicantur, sed aperte ac palam audire. Itaque vel inter verba *quod audiunt* aliquod adverbium omissum est, quod eam vim verbis addebat, vel scribendum *quod hauriunt.* Nam id verbum percipiendi vim habet, ut in Vergilianis *vocemque his auribus hausi* et *strepitumque exterritus hausit.* Deinde corrigo: *non in quas ficta et simulata quaestus causa insusurrentur.* Potest aliquid astute et occulte insusurrari, non intelligo quomodo id fieri ficte et simulate possit.

Ibidem. *Sit lictor non suae, sed tuae lenitatis apparitor.* Baiterus ex Ursini coniectura edidit: *non suae saevitiae.* Wes. ante *suae* vel *severitatis* vel *saevitiae* excidisse suspicatur et chiasmum aptissimum iudicat. Ego maneo in sententia olim enunciata *suae* ortum esse e compendio vocis *saevitiae*, eamque corruptelam genuisse *tuae*, quod opposito *lenitatis* vocabulo additum est. Ut in altera sententiae parte *dignitati* opponitur *potestas*, sic in priore saevitiae lenitas. Ergo scribamus: *sit lictor non saevitiae, sed lenitatis apparitor.*

I. 1, 16. *Atque etiam e Graecis ipsis diligenter cavendae sunt quaedam familiaritates.* Ciceronis usus postulare videtur, ut scribatur *in Graecis ipsis.* Tum vel cum Ernesto *quaedam* delendum est, vel cum Wesenbergio statuendum ante illam vocem excidisse aliquod adiectivum, velut *intimae.* Cf. id quod supra dicitur de negotiatoribus § 15: *si quem es nactus, qui in tuam familiaritatem* penitus *intrarit.* Sed quod sequitur *sic vero fallaces sunt permulti* cet. sine causa Wesenbergio displicet. *Sic vero*, ut recte monuit P. Manutius, valet idem atque *ut nunc sunt*, et Graecos illius aetatis plurimos opponit perpaucis illis, qui erant vetere Graecia digni.

I. 1, 21. Si codici Mediceo fidem habemus, apud C. Octavium praetorem urbanum *primus lictor* quievit. Sed quum, qui inter lictores principem locum teneret, proxime ante magistratum iret, indeque *proximus lictor* appellaretur (ut apud Livium XXIV. 44. Val. Max. II. 2, 4 et in inscriptt. Or. 794 et 3218), *proximus lictor* ex Orellii correctione a Wesenbergio recte restitutum est. Saepius *primus* et *proximus* (per compendium scripta *prmus* et *pxmus*) permutantur, ut docuerunt Oudendorpius ad Suet. Caes. 50, Wexius ad Tac. Agric. p. 86. Quod Malaspina volebat *apud quem primum lector quievit*, repudiandum est, quoniam ineptum est credere nullum ante C. Octavium fuisse magistratum maiorem, qui lictoris insolentiae resistere ausus sit, eumque primum fuisse huius rei auctorem.

Severitatis in eodem hoc ponitur exemplum: *qui in magistratibus iniuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat iure parendum.* Sententia requirit, ut scribatur: *eidem ipsis privatis erat iuri parendum* ɔ: ipsi deposito magistratu parere debebant iisdem decretis.

I. 1, 22. Cicero saepe nominat *magnos viros*, rarius *magnum hominem*, velut

Fam. IX. 6, 4. Leg. III. 14, hoc uno ni fallor loco in eius scriptis prodit *permagnus homo.* Sed dubitare licet an ita scripserit, quum id quod vellet satis per simplex *magni hominis* enuntiare posset. In Med. scriptum est: *quare cum permagni hominis est.* Schuetzius *cum* delevit, eumque sequitur Wes. Ego in *cum per* latere suspicor *semper*, et scribendum: *quare semper magni hominis est,* cet. Eodem modo peccatum est in or. p. Sest. 107, ubi quum codd. dent: *Huius oratio et pergravis et grata — fuit* Maur. Seyffertus bene correxit: *Huius oratio ut semper gravis et grata — fuit.*

I. 1, 44. *In quo cavendum est, ne, si negligentior fueris, tibi parum consuluisse, sed etiam tuis invidisse videaris.* Est hic locus unus e multis, in quibus non praecedente *non solum* aut *non modo* sequitur *sed etiam.* Multi editores de suo quod deesse putabant adiecerunt et h. l. Wesenbergius inter *non solum* et *non modo* fluctuat. Ab iis et olim dissentiebam, quum codicum scripturam ad Att. III. 15, 5 tuerer, ubi vidd. quae adnotavi, et nunc dissentio, libenterque vidi Fred. Hofmannum in Epistolis selectis mecum facientem. cf. p. 73 editionis tertiae.

I. 1, 45. *Sed me quaedam tenet propter singularem amorem infinita in te aviditas gloriae.* Cicero affirmat fratris gloriam sibi esse carissimam, nihil magis se cupere quam a fratre ex Asia gloriam deportari. Sed verba hoc non satis clare indicant. Sunt, qui *in te* interpretantur: in eo, quod ad te attinet, in tuis rebus, sed nullo exemplo hunc usum illustrant. Ursini transpositione verborum *in te* ante *amorem* sententia nihil iuvatur. Moserus, in Symb. crit. ad Cicer. spec. IV p. 13 dubitanter coniecit: *propter singularem tui amorem infinita tuae aviditas gloriae;* ego *in te* ex quadam repetitione litterarum praecedentium *nita* ortum, itaque tollendum puto, et post *gloriae* addo *tuae.* Sic haec erit sententiae forma: *Sed me quaedam tenet p. s. a. infinita aviditas gloriae tuae.*

I. 1, 46. Cicero fratri commendat, ut ita se gerat, *ut tertius annus imperii sui tanquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur.* In his *tertius actus* non a Cicerone profectus videtur, et superlativus *perfectissimus* male ei a nonnullis eripitur. *Tertium actum* defendit Langius in Vindiciis tragoediae romanae. Vid. A. G. Lange's Verm. schriften p. 87 sq. Sed ut ei concedam Horatii praeceptum in ep. ad Pisones v. 189 *Neve minor, neu sit quinto productior actu fabula,* non ab omnibus semper observatum esse, tamen loci sententia flagitat, ut tertius annus imperii, qui extremus futurus erat, comparetur cum extremo actu fabulae, non cum tertio, qui raro admodum erat extremus. Itaque verum vidisse videntur, quibus *extremus actus* h. l. necessarius visus est, in quibus invenio Peerlkampium quoque fuisse. Vid. quae notavit ad Ep. ad Pis. p. 81. Pergo ad alterum. Adiectiva, participia, adverbia, quibus *per* praefixum est, non posse recipere comparationem nec superlativi forma efferri in uni-

versum verum est, meritoque damnantur *perdifficillimus* apud Livium XL. 21 aliaque eiusdem farinae. Ideo Pompeius grammaticus in fragmento, quod primus edidit Iac. Frid. Heusingerus post Mallii Theodori de metris librum p. 67 perfectius et perfectissimum recte dici negavit. Sed ut in perdito, cuius superlativum scripsit Cicero in Verr. act. sec. III. 65, sic in perfecto usus aliter decrevit, nec sine summa licentia Ciceroni h. l., in Bruto 118, in Oratore 3 et 47 *perfectissimum* eripias; quae frequentia exemplorum demonstrat Velleium et Quinctilianum non fuisse novatores, quum hoc superlativo uterentur in Hist. rom. II. 36 et in I. O. I. 1, 23 et X. 2, 24. Non me fugit I. Bakium, bonum latinitatis iudicem, vehementer oppugnasse hunc superlativum in libro de emendando Cic. Oratore p. 35, iterumque in Add. ad librorum de Oratore recensionem suam p. 385, sed sequor iudicium non deterioris iudicis Dav. Ruhnkenii, quod prodidit in adnot. ad Iulii Rufiniani lib. de fig. sentent. § VII, etsi hic mihi errare videtur in hac re laudans verba e Ciceronis libello de optimo gen. Orat. § 6: *Ea igitur omnia in quo erunt summa, erit orator perfectissimus, in quo media, mediocris, in quo minima, deterrimus.* Ciceronis esse *orator perfectus* ea quae praecedunt: *Oratorem — perfectum quaero* ostendunt. Superlativus *deterrimus* videtur aliquem grammaticum movisse, ut ei superlativum *perfectissimus* opponeret.

I. 2, 10. *Quum hanc paginam tenerem.* Cicero indicat se occupatum fuisse in scribenda hac epistolae pagina. Sed *tenere* non aptum est huic rei verbum. Credo eum scripsisse: *quum hanc paginam texerem.* Cf. Fam. IX. 21, 2 *epistolas quotidianis verbis texere solemus.*

Ibid. *Te aut quasi amicis tuis gratias acturum aut quasi inimicis incommodaturum.* Sic edidit Wes. in ultima voce Cratandrinam et deteriores codices scripturae codicis Med. praeferens. Mihi vero propter oppositum *gratias acturum* magis placet e Med. *incommoda laturum*, nec causam video cur *laturum* in *daturum* aut *allaturum* mutemus. Nam simplex ferre saepe habet afferendi vim, velut in seq. ep. 5: *spero — aliquid etiam misericordiam nostri praesidii laturam.*

I. 2, 11. *Nolo medius fidius ex tua iniuria in illum tibi liberalem me videri.* Manutius recte vidit *in illum* iungendum esse cum *liberalem*, et *illum* spectare ad Flavium quum proxime praecedant haec: *et Flavii causa et sc. Pompeii facies omnia.* Similiter Fam. XIII. 1, 5 *non te in me liberalem — putabit.* Sed male interponitur *tibi*, quod vel delendum vel post *liberalem me* ponendum est.

I. 2, 13. *Maiora ista erunt; meae obiurgationes fuerunt amoris plenissimae.* Quum *erunt* sit vitiosum, et *fuerunt* bis positum tantillo intervallo langueret, Wes. *erunt* delevit. Nonne praestat corrigere *erant?*

I. 2, 14. Aesopi servum non *Licinium*, ut hic appellatur, sed *Licinum* appellatum fuisse idemque nomen reddendum esse Augusti liberto, qui memoratur in Macrobii Saturn. II. 4, 24, recte monuit Torrentius ad Suet. Aug. 67.

I, 2, 16. *Equidem cum spe summa maxima tum maiore etiam anima sperent superiores fore nos confidant animo ut in hac republica ne casum quidem ullum pertimescant.* Verba in cod. Med. sic mendose descripta alii aliter emendare conati sunt. Non moror P. Manutii et F. Ursini tentamina merito spreta. Peerlkampius in adnot. ad Taciti Agric. p. 117 ed. alt. coniecit: *Equidem cum spe sum maxima, tum superiores fore nos confido, ut — pertimescam*, non felicius quam Madvigius, cuius coniecturam a Wesenbergio in Emendd. epp. I. p. 117 prolatam Baiterus et Wesenbergius in suis editionibus non dubitanter receperunt. Sententia sic optime progeditur, verba leniori mutatione sanari posse videntur. Ego ita restituo: „Equidem quum spe *sum* maxima, tum maiore etiam animo; *ut sperem* superiores fore nos, *confidam tantum*, ut in hac re ne casum quidem ullum pertimescam."

I. 3, 8. Cicero queritur se ab Hortensio et a Q. Arrio male tractatum esse additque: *quorum ego consiliis, promissis, praeceptis destitutus in hanc calamitatem incidi.* Mire consiliis et promissis adiiciuntur praecepta, quae a consiliis non sunt diversa. Neque Cicero Hortensii Arriique consiliis et promissis destitutus ↄ: privatus fuit, sed in errorem inductus et deceptus. cf. ep. seq., 1. ad Att. III. 9, 2. Propterea Lambinus in margine edit. 1584 coniecit *inductus ac destitutus*, nimis ille audacter. Ego corrigo: *quorum ego consiliis, promissis deceptus, destitutus in h. c. incidi.* Eadem verba iunguntur p. Rosc. Am. 117 *homines — induxit, decepit, destituit.* Ablativi referendi sunt ad solum part. *deceptus* et *destitutus* absolute intelligendum est, ut in or. p. Sulla 90 *quum in hac fortuna miserrima destitutus sit*, p. Quintio 51 *saepe illusi ac destituti.* Asyndeta satis tuentur exempla, quae attuli ad Att. XI. 9, 3, etsi non valde repugno si quis ea librariorum negligentiae tribuere et scribere malit: „quorum ego consiliis promissis*que* deceptus *et* destitutus" cet.

I. 4, 1. *Nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi, a quibus nefas putaram esse me decipi, aut etiam quibus ne id expedire quidem arbitrabar.* Med. *putarem*, quod a Cratandro in *putaram* mutatum est, quem plerique sequuntur. Assentior Ernesto *putabam* reponenti ob sequens *arbitrabar*, quum nulla causa sit cur eorum verborum diversa tempora ponantur.

Ibid. *Ita mihi nihil misero praeter fidem amicorum cautum meum consilium fuit.* In his sanandis interpretes valde variant. Nemo invenit, quod aliorum assensu comprobaretur. Ceteris melius Wesenbergius coniecit post *amicorum* excidisse *defuit nec*, sed me nondum poenitet correctionis alia via temptatae, quam

proposui in adnot. ad Att. III. 20, 1. Post *invidit ita*, post *mihi nihil* male illatum iudicans ab initio ita scriptum fuisse existimo: *mihi misero praeter fidem amicorum cautum meum consilium defuit.*

II. 1, 1. Haec epistola continet acta in senatu uno die mensis Decembris, quae M. Cicero fratri, qui tunc in Sardinia Pompeio legatus erat, nuntiat. Narrat senatum pro illo tempore fuisse frequentem, nominatque nonnullos qui adfuerant: *Consulares nos fuimus et duo consules designati, P. Servilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcacius* [1], *Glabrio, praetores.* Si Cicero ita scripsit, affirmat se consularem fuisse in senatu, praeterea consules designatos P. Servilium, M. Lucullum, tum praetores Lepidum, Volcacium, Glabrionem. Sed nihil ineptius et a veritate remotius dici poterat. Nam mense Decembri anni DCLXXXXVII, quum haec epistola scripta est, consules designati erant Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus, qui in hac ipsa epistola prodeunt. Sed P. Servilius fuerat consul a. DCLXXV; M. Lucullus a. DCLXXXI; M'. Lepidus a. DCLXXXVIII cum L. Volcacio, M'. Glabrio a. DCLXXXVII, ut Fasti docent. Hi igitur omnes erant consulares. Consules designati non nominantur, quoniam Quinto noti erant, praetores omnes adfuisse censendi sunt. Quae quum ita sint, Cicero non potuit inter se et quinque ceteros consulares interponere consules designatos, neque scripsit *duo consules designati*, quasi plures eodem tempore esse potuissent. In epistola ad Att. XIV. 9, 2 memorantur quidem *duo quasi designati consules*, sed eorum verborum alia ratio est. Hoc autem loco *consules designati* vel initio omissi vel inter versus adscripti alienum locum occuparunt; in *duo* aliud latet. Ut in ep. ad Att. XII. 21, 1 et in Philipp. II. 12 post nomina consularium sequuntur nomina Silani et Murenae, designatorum consulum, Cicero h. l. scribere potuit: *consulares nos fuimus et P. Servilius, M. Lucullus, Lepidus, Volcacius, Glabrio, fuerunt consules designati, praetores*, vel paulo aliter hoc idem enuntiavit.

II. 1, 3. (Clodius) *furebat a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum.* Libenter concedo potuisse Clodium a Racilio salse et lepide i. e. urbane vexari; sed quis credat Clodium, ut erat furiosus, urbanitatem in se vexando Racilio exprobrasse, aut Ciceronem id narrantem *contumaciter et urbane* iunxisse. Cum Manutio *inurbaneque* scribendum puto, sive hoc in libro scripto invenit, ut ait, sive eius ingenio debetur, laudoque Wielandum, qui vertit *unhöfflich.*

II. 3, 3. *Respondit ei vehementer Pompeius.* Quum Cato *vehementer* in Pom-

---

[1]) Sic hominis nomen scribendum esse codices epistt. Ciceronis Medicei Fam. I. 1 et 2. IV. 4, 4. XIII. 14, 1 ad Att. VIII. 1, 3 ostendunt. In Asconii nova recensione Kiesslingius et Schoellius ter *Volcacium* dederunt, semel relicta altera scriptura *Volcatius*, p. 24. Graeci vocabant Βολκάκιον, ut Appianus Illyr 27. In Mss. saepe anceps est discrimen inter *c* et *t*.

peium invectus esset, nil mirum si hic illi vehementer responderit. Sed quum in Med. scriptum sit prima manu *Respondit evidenter P.*, acute Kayserus coniecit: *Resp. ei fidenter P.* Saepius eo adverbio cum verbis dicendi usus est Cicero, ut Att. VI. 1, 21. *De M. Octavio iterum iam tibi rescribo te illi probe respondisse; paullo vellem fidentius.* de Or. I. 240 *Tum ille fidenter — confirmare ita se rem habere.* de N. D. I. 18 *Tum Velleius fidenter sane* cet.

II. 3, 4. *Vehementer esse providendum, ne opprimatur contionario illo populo a se prope alienato. Contionarius ille populus* mihi suspectus est, primum quod Cicero alias utitur adi. contionalis, velut ad Att. I. 16, 11 ubi *misera ac ieiuna plebecula* appellatur *contionalis hirudo aerarii* et ad Q. fr. II. 5, 1 *clamor senatus prope contionalis;* tum quod sine causa additur *illo;* postremo quia in contionibus non populus, sed plebs dominabatur. *Contionarius ille* videtur esse P. Clodius, qui saepe ad contiones vocare et in iis verba facere solebat. Quod si probatur, scribendum: — *ne opprimatur a contionario illo* cet. Ita in verbis *populo a se prope alienato* nihil offensionis relinquitur.

II. 3, 5. Cicero narrat Sestium de ambitu et de vi reum esse factum seque ei operam suam obtulisse, additque: *itaque faciemus. Sed idem Nerius index edidit allegatos* (sic cum Turnebo Advers. XX. 5 et cum Wesenb. Em alt. p. 65 scribendum, non ut codd. dant *ad allegatos*) *Cn. Lentulum Vatiam et C. Cornelium.* Non fero *faciemus*, quum non appareat quid facturus sit. Sed facilis medela, si pro sequenti *sed* (*set*), quo sententia non eget, scribitur *sat'* i. e. satis: *itaque faciemus satis.* Cicero enim nonnunquam *facere satis* pro *satisfacere* scripsit. vid. quae monui ad Att. V. 3, 3. Quod in seq. ep. § 1 fratri nuntiat se defendendo Sestio cumulatissime *satisfecisse*, hanc emendationem non leviter confirmat.

II. 3, 7. Quae nominatur *domus ad lucum Pisonis Liciniana* in monte Caelio fuisse videtur, sed ullum *Pisonis lucum* in urbe vel extra urbem exstitisse negamus. Luci non hominis nomine, sed Dei Deaeve, cui consecrati erant, designabantur, ut lucus Martis, Iunonis, Dianae, Veneris Lubentinae s. Libitinae (Varro ap. Nonium p. 64), Furinae (Cic. N. D. III. 46), Camenarum (Liv. I. 21), alii in Varronis de ling. lat. V. 49, in quibus *lucus facutalis* a fago Iovi sacra nomen acceperat. vid. Paulus e Fest. p. 87. *Lucus Poetelius* apud. Varr. V. 50 et Liv. VI. 20, etsi a gente nomen accepit, sine dubio tamen deo deaeve sacer fuit. At in quavis urbis parte erant lacus, suis singuli nominibus insignes, velut lacus Servilius (p. Rosc. Am. 89), et qui in Curioso et in Notitia regionum nominantur lacus pastorum, Promethei, Orphei. Itaque e luco Pisonis faciamus *lacum Pisonis.* Librarii contrario errore in Livii XLI. 9 *lucum Martis* in *lacum* mutarunt. Ne quis *ludum gladiatorium* hic nominari posse existimet, moneo tales ludos reip. tempore in urbe fuisse nullos.

II. 4, 5 (vulgo 6, 5). Racilius trib. pl. dicitur proscripsisse ɔ: venalem proposuisse familiam Catonianam. Id Catoni non erat honorificum. Propterea *eam tabulam* (auctionis) *magni risus consequebantur*, non, ut editur constructione insolita, *in eam tabulam*.

II. 4, 6. Quum S. Clodio *tres sententiae teterrimae in consilio* defuisse dicantur in antiquioribus editt., recte intellexerunt recentiores editores illud adiectivum non sententiis illis, sed consilio convenire. Schuetzius correxit *teterrimo in consilio*, Bait. et Wes. ediderunt *deterrimo*, proxime instantes scripturae cod. Med., in quo est *deterrime*. Sed quia maiori cum acerbitate consilium illud vocatur *teterrimum*, Schuetzii correctionem probare malo. De confusione utriusque superlativi monuit Drakenb. ad Liv. IV. 3, 17 et qui ibi citantur.

II. 6 (vulgo 8) extr. *Illud scilicet: coenabis, quum veneris.* Ad haec verba Wes. Em. alt. p. 67 haec adnotavit: „*illud scilicet* (facies). Excidit ante *cum* vel *mecum* vel potius *apud me* (*apud nos*), quod ut Fam. IX. 23 audire minime licet. Ut coenaret (ipse apud se), Quintum rogare plus quam ridiculum esset." Vide quam facile inter *coenabis cum* propter similitudinem litterarum omitti potuerit *nobiscum* ɔ: mecum et cum pueris nostris. cf. in epist. Marci filii ad Fam. XVI. 21, 3 *ut mecum — coenet*. Horat. Sat. I. 7, 70 *si coenas hodie mecum*.

II. 8, 3 (vulgo 10, 3). *Nos ita philologi sumus, ut vel cum fabris habitare possimus.* Manutius interpretatur: „Nam ego ita sum litterarum studiosus, ut mollis tamen minime sim, quales fere sunt quos librorum consuetudo tenet." Ea quum repeterent Schuetzius et Hoffa, non assecuti sunt vim nominis *philologi*. Cicero h. l. et ad Att. XIII. 12, 3 ita vocat Platonis exemplo confabulandi et disputandi cupidos, curiosos. cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 392 sq., Car. Lehrsii disputatio de hoc nomine in Analectis grammaticis Herodiano adiectis Regim. 1848., F. Heerdegen, die Idee der Philologie, Erlang. 1879, p. 21 seqq. Itaque Cicero hoc dicit se esse tam disputandi cupidum, ut vel cum fabris, qui tunc in villa sua occupati erant, disputare velit. Ab hac philologiae notione quum philosophia non excludatur, ut in Platonis de Rep. IX. p. 582 E. *ὁ φιλόσοφός τε καὶ ὁ φιλόλογος* iunguntur, addere potuit: *habemus hanc philosophiam non ab Hymetto, sed ab † araysira* (fortasse scr. *ab arte nostra*). Cave ne pro philologis philosophos, neve pro philosophia philologiam a Cicerone h. l. scriptam esse putes.

II. 8, 4. *Hortus domi est.* Wesenbergius de primi vocabuli sanitate dubitavit, ut ante eum dubitarant Schuetzius et alii, quorum aliquis coniecit *Hortalus domi est*. Sed Hortensius, si tunc forte in villa sua apud Baulos erat, de qua vid. Acad. pr. II. 9, non poterat dici *domi* esse. Memor eorum, quae Cicero scripsit Varroni Fam. IX. 4: *si hortum in bibliotheca habes, deerit nihil* et eorum, quae

sunt in ep. ad Q. fr. III. 1, 14 *domus suppeditat mihi hortorum amoenitatem*, verba tueor et sic interpretor: Domus mihi suppeditat hortum; in ipsa domo tot sunt arbusta, ut horti speciem referat. Cicero, qui Q. fratrem cum Mario ad se invitarat, haec adiecit ut suam invitationem urgeret.

II. 10 (12), 1. *Pridie Idus* (Februarias), *quum Appius senatum infrequentem coegisset, tantum fuit frigus, ut populi convicio coactus sit nos dimittere.* Non intelligo quomodo consul clamore populi extra curiam in Graecostasi et in gradibus (ad Q. fr. II. 1, 3) stantis cogi potuerit ut senatum dimitteret. Multo verisimilius est ipsos senatores fuisse frigoris impatientes idque convicio declarasse. Fortasse scribendum *communi convicio.* Nam hoc modo declarabitur convicium non fuisse paucorum, sed multorum senatorum.

Idem frigus vereor ne in extremis epistolae verbis aliquid nocuerit, ubi dicitur impendere tantum, *ut summum periculum esset, ne Appio suae aedes urerentur.* In magno frigore maius oritur incendii periculum. Sed cur, quaeso, magis illud immineret consulis, quam privatorum aedibus? Huic quaestioni quod respondeam non habeo, neque Manutii explicatio: „quod in domo consulis, quo salutandi ac deducendi causa quam plurimi convenirent, caminum esse oporteret saeviente frigore luculentissimum" dubitationem meam tollit.

II. 11 (13), 4. Postquam Marcus suum deprompsit iudicium de Callisthene et Philisto, historicis, in quibus frater tunc assidue versabatur, ita perrexisse putatur: *Sed, quod adscribis, aggrediarisne ad historiam, me auctore potes.* E Med. notantur *quoad scribis aggrederisne*, quae eo ducunt, ut restituatur: *sed quid scribis? aggrederisne ad historiam? Me auctore potes*, cet.

II. 12 (14), 2. Quum in verbis *Cicerone nostro minore producendo* non satis certum esset qua vi v. *producere* dictum esset, in antiquioribus editt. illud mutatum est in *perdocendo.* Perperam. Habet enim vim provehendi, promovendi, incitandi ad progrediendum, ut Graecum *προάγειν* (cf. Fin. III. 52), et hoc ipsum *producere* in epist. C. Cassii (Fam. XII. 13, 1) *meque ad optimam spem patriae, non minimam tibi ipsi producendum putes*, et in epist. Octaviani apud Suetonium in Claudio, 4. Erudiendi vel educandi notione, quae etiam aptior est, non legitur nisi apud poetas.

II. 13 (15), 1. *Blandenonne*, ut scriptum est in Med., e *Blandennone* vel *Blandenone* ortum videtur. Etsi oppidum vel vicus eius nominis in vicinitate Placentiae alibi non memoratur, tamen non debet sollicitari. Nam multa nomina locorum semel bisve citantur. Certo falsa est Sigonii coniectura *Laude Nonis*, quia tum tempora litterarum a Quinto datarum et a Marco acceptarum inter se conciliari nequeunt. Si certum esset litteras Quinti Laude Pompeia datas esse, idque nomen in Blandenone latere, potius corrigendum esset: *deinde alteras*,

postridie datas Laude una *cum Caesaris litteris.* Sic in hac ipsa § memorantur *litterae eius* (Caesaris) *una datae cum tuis.*

Ibid. 3. *Id et Curtius ita volebat.* Particulae *et* non est locus. Scribe: *ipse Curtius ita volebat.*

II. 14 (15, 6). Huius epistolae pessime descriptae plurimos locos Wesenbergius tam ingeniose et feliciter restituit, ut paene integritati reddidisse videatur. Cff. Emend. alt. p. 69—72. Memorabilis tamen est Madvigii suspicio, quae invenitur in disp. de Praefectis inserta operi Gallico Revue de philologie II. 3 p. 177 seqq. Is enim verba lacera in § 3 sic restituit: *quod putas magis e re tua; nam illa etiam magni aestimo cet.*, ubi W. post *magis* plura intercidisse putabat. Alteram ego emendationem faciam in § 2 pro *genuine fraterneque* Ciceroni reddens suum *ingenue fraterneque.* Cf. Fam. V. 2, 2 *me abs te cupisse laudari aperte atque ingenue confitebar.* Att. XIII. 27, 1 *Isti ingenue, mihique gratum quod quid sentirent non reticuerunt.* Idem in § 3 dicitur *non assentatorie sed fraterne*, in ep. seq. § 5 *φιλαληθῶς et fraterne.*

II. 15 (16), 5. *Ego enim ne pilo quidem minus me amabo.* Cum Baitero hanc libri Med. scripturam servandam censeo, quae Ciceronis indolem plane refert. Sine causa Aldus aliique scripserunt *te amabo.*

III. 1, 2. Cicero negat in porticu esse locum atriolo, quum alias ob causas tum quod non poterat habere adiuncta cubicula et eiusmodi *membra.* In h. l. ut in Plinii Ep. V. 6, 15 et II. 17, 9 *membra* vocantur cubicula minora, quae hodieque a Pedemontanis dicuntur *membri.* In Apuleii vero Metam. III. p. 228 Oudend. *singula domus membra* sunt singulae aedium partes.

III. 1, 3. *Silva virdicata* per se non est molesta. Nam viridans et viridicata apta sunt epitheta silvae semper virentis. Sed fortasse melius hoc refertur ad *villam*, et scribendum *palaestra et silva viridi auctam.*

III. 1, 18. *Scripsi ad Caesarem Vibullium Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium pertulisse nec Oppium.* Qui haec et quae sequuntur bene consideraverit, fatebitur a Madvigio in Wesenbergii Emend. epistt. p. 114 egregie esse correcta addito *neque* ante *Vibullium.* Cicero igitur sic fere scripsit ad Caesarem: „Vibullius tua mandata non pertulit ad Pompeium, nec Oppius," et hic ei reddendum *eius mandata*, deleto *Caesaris* nomine quod e glossa irrepsit [1]). Quae sequitur interrogatio: *Quo consilio* sane debet ita suppleri, ut Madv. fecit: „hi non fecerunt, ut Caesaris mandata de mea mansione ad Pompeium perferrent?" sed huic quaestioni mire subiiciuntur: *quamquam Oppium ego tenui*

---

[1]) Ita Livius I. 20, 2 scribere debuit: *quia in civitate bellicosa plures Romuli quam sui similes reges putabat fore*, non quod libros occupavit *Romuli quam Numae similes.*

cet. Longe melius haec procedunt, si ob litterarum similitudinem verbum a librariis omissum statuimus, itaque scribimus: *Quo consilio nescio.* Tunc *quamquam Oppium ego tenui* cet. dictum est hac sententia: sed Oppii in hac re nulla culpa est; ipse eum tenui, impedivi quominus perferret, quod Vibullio a Caesare proprie mandatum erat.

III. 2, 2. *Gabinius*, qui *a. d. IV Kal. Octobr. noctu in urbem introierat*, ut legimus in ep. 1, 24 h. l., narratur *subito bonus imperator noctu in urbem hostium plane* invasisse. Merito Wesenbergius Em. alt. p. 74 negat Ciceronem sic scribere potuisse, si vellet dicere in urbem eorum, qui ei plane hostes erant, et pro *hostium plane* coniecit scribendum *hostilem plane in modum*. At pace viri acutissimi dicam nimis hoc recedere a scriptura tradita Cur non dicemus *plane* ortum esse e *plenā*, et scribemus *in urbem hostium plenam?* Gabinius, qui in provincia nihil fortiter egerat, qui nullam unquam urbem hostium erat aggressus, nunc subito bonus imperator factus in urbem Romam hostium suorum plenam invaserat.

Ibidem. *Homo undique atius et quum a me m. vulneraretur.* Reiecta Manutii correctione Wes. suspicatus est in *atius et* latere *exagitatus* Mihi magis placet: *homo undique saeptus*, quod idem est atque *circumventus ab inimicis* in Salust. Cat. 31.

Ibidem. Cicero causas enumerans, cur ab accusando Gabinio abstineat verbis: *ἀπότευγμα formido* ɔ: infelicem accusationis successum metuo, subiungit: *et timeo ne illi me accusante aliquod accidat* ɔ: ne condemnetur. Quum autem Cicero non possit eodem tempore timere, ne G. absolvatur et condemnetur, Manutius haec ultima interpretatur: timeo ne absolvatur. Sed violenta hac interpretatione nihil proficimus, nisi quod Cicero bis idem dixisse invenietur. Non intelligo cur editores non sequantur Schuetzium *accedat* corrigentem et de emolumento interpretantem. Ita recte *timeo ne — accedat* sequitur post *ἀπότευγμα formido*, et oratio a minori ad maius progreditur.

III. 2, 3. *Nomina data.* Manutius adnotavit: „prolata eorum, qui participes aut conscii fuerant maiestatis imminutae, quibus testibus Gabinius convinci posset." In hac explicatione ceteri editores aequievisse videntur. Est tamen absurda, nam testes non nominantur et saltem debuerat scribi *nomina edita*, ut Madvigius in Emend. Liv., p. 345 apud Livium XXXIX, 37, 12 *edidit collegae nomen* pro vulgato *dedit c. nomen* restituit. Ego verborum sententiam obscuratam censeo male omisso vocabulo. Appius in senatu non solum accusavit Gabinium maiestatis, sed conviciis exagitavit. Id ita dici potest: *nomina odiosa data.*

III. 6, 6. *Ita mendose et scribuntur et veneunt.* Quam iusta sit haec querela de libris Latinis, hic ipse locus docet. Nam neque erat, cur Cicero verba *scri-*

buntur et *veneunt* disiungeret per *et — et*, neque agebatur de libris tum primum scriptis, sed de libris descriptis. Non tamen auctor sum, ut pro *et scribuntur* reponatur *describuntur*, ut Peerlkampius in Horatii Sat. II. 1, 16 *describere* commendavit pro *et scribere*. Emendo potius *exscribuntur*, quod verbum non minus quam illud in usu fuisse ostendunt Cic. in Verr. Act. sec. II. 189 *tabulas in foro — exscribo, adhibentur in exscribendo de conventu viri primarii* et M. filius in ep. ad Tironem Fam. XVI. 21, 8 *multum mihi eripitur operae in exscribendis hypomnematis*. Saepissime autem confunduntur *et* et *ex*. Cf. Drakenb. ad Liv. XXVI. 45, 1 et Wesenb. Em. alt. p. 49. In Horatii Ep. ad Pis. 217 cum Nic. Heinsio *extulit* praefero scripturae, quae codices et editiones occupavit *Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps*. Iuvenali quoque in Sat. I. 76 reddamus suum *Argentum vetus, exstantem extra pocula caprum*, ut multo aptius et elegantius quam quod editur *et stantem*. Cf. Ovidii Met. V. 81 *sed altis Exstantem signis — tollit cratera*. Vix quoque dubito de veritate suspicionis Peerlkampii in Aen. I. 179 *frugesque receptas Extorrere parant flammis et frangere saxo* praestare vulgato *Et torrere — et frangere*.

Ibidem. Quae statim sequuntur: *Crebrius, ut ante ad te scripsi, Romae est et qui omnia adiurat debere tibi, valde renuntiant*, non tam leni mutatione integritati restitui possunt. *Crebrius*, nomen hominis ignoti, ingeniose ab Orellio mutatus est in *C. Rebilus*, quem biennio post Caesaris in Gallia legatum fuisse scimus e Caes. B. G. VII. 83 et 90. Fortasse hoc tempore in Q. Ciceronis legione centurio, et commeatu accepto in urbe erat. *adiurat* e Med. minus quam quod W. e codice Crat. recepit *adnuat* a vero discedere videtur. Deleta prima litera, quae e praec. voce *omnia* errore librarii repetita videtur, repono *dixerat* et e *renunciant* et seq. *ab* eruo *te nunc iactat*. Ita oritur sententia plana et perspicua: *C. Rebilus — Romae est, et qui omnia dixerat debere tibi, valde te nunc iactat*. Iactare aliquem et agitare est insectari iniuriis vel irrisione, velut Divin. in Caec. 45 *te — quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus videre iam videor*. Fam. I. 5 b, 1 *clamore convicioque iactatus est*. cf. Ellendtius ad Cic. Brut. 109.

Ibidem. Ante *aerario* excidit *de*. Cicero scripsit: *De aerario puto confectum esse*, ut Att. I. 5, 4 *De Acutiliano negotio quod mihi mandaras — confeceram*. XII. 19, 1 *tu — confice de columnis*. Q. fr. II. 4, 2 *De nostra Tullia — spero cum Crassipede nos confecisse*, non quod editur *ab aerario*.

III. 7, 1. *Romae et maxime et Appia a Martis mira luvies* in Mediceo est a prima manu, deinde *et* ante *Appia* expunctum et *proluvies* correctum. Recte Wesenbergius Em. alt. p. 77 vidit requiri *in Appia* (cf. Fam. X. 30, 4 *in ipsa Aemilia — diu pugnatum est*. p. Mil. 15 *de caede, quae in Appia facta esset*,

ubi cod. Erfurt. omittit *via* et quae de hac omissione monui ad Att. IX. 6, 1). Quod vero idem pro *mira luvies* probavit facilem sane P. Victorii correctionem *mira alluvies* non probo. Requiro nomen quod indicat inundationem amnis super ripas effusi, et quum videam a Cicerone vocari *eluvionem* de Off. II. 16, de Rep. VI. 23, h. l. scribendum censeo: *Romae et maxime in Appia ad Martis mira eluvio est.*

III. 8, 4. *Quam se ipse amans sine rivali.* Quum Horatius in Ep. ad Pisones scriberet: *Quin sine rivali teque et tua solus amares* haec potius verba respexisse videtur, quam quod legitur ad Att. VI. 3, 7 *licebit cum solus ames, me aemulum non habebis*, quem locum poetae illa scribenti in mente fuisse putabat Peerlkampius p. 161 editionis suae.

III. 8, 6. *Nunc de Milone. Pompeius ei nihil tribuit et omnia Guttae* cet. Libenter do Wesenbergio *et* delendum esse, sed miror *Guttam* nemini fuisse offensioni. Agitur de futura consulatus petitione. Nusquam legimus aliquem Guttam fuisse praetorem et de consulatu petendo cogitasse. At scimus Milonis competitores fuisse P. Plautium Hypsaeum et Q. Caecilium Metellum Scipionem, utrique autem summe studuisse Pompeium. Narrat Asconius in argumento Milonianae p. 26, 9 ed. Kiessl., iterum de Hypsaeo p. 31, 5. Itaque suspicamur *Guttae* nomen hic locum cedere debere *Hypsaeo.* Nihil opus erat, ut Metelli Scipionis simul mentio fieret, quod et per se intelligebatur Pompeium huic suffragari socero suo et hic non opponebatur Miloni.

III. 9, 2. *Qui* (sc. Milo) *ludos HS. CCCↃ compareт.* Numeri corrupti sunt. Vide ne aliquot notae lateant in prima syllaba verbi *compareт.* Nam etsi praeter poetas, quos laudat Salmasius ad Capitolini Verum p. 38, 26, Cicero quoque scripsit *convivium comparare* pro parare, instruere, tamen de ludis *parare* et *apparare* usitata fuisse videntur. Hoc legitur in ep. 8, 6 *ludos apparat magnificentissimos*, ipsique ludi inde appellantur *apparatissimi* Fam. VII. 1, 2; simplex *parare ludos* exemplo Ciceronis munire non possum, sed non longe diversum quod Caelius scripsit ad Fam. VIII. 14 extr. *spectaculum parabat.*

CAPUT III.

EPISTOLARUM AD ATTICUM PLURES LOCI VINDICANTUR, CORRIGUNTUR, EXPLICANTUR.

I. 1, 1. *De Aufidio et de Palicano non puto te exspectare, dum scribam.* Etsi sic habent omnes codd. noti, tamen Orellium, qui de Goveani coniectura *Aufidium* in *Auli filium* mutavit, secuti sunt editores recentiores. Utitur ille hoc argumento, quod de nullo Aufidiorum, qui in Cic. scriptis memorantur, hic sermo esse possit, et Baiterus conferri iussit ep 18, 5. 20, 5. II. 3, 1, quibus in locis (adde I. 16, 12) L. Afranius designatur nomine *Auli filii.* Ego maneo in sententia, quam olim defendi, nihil esse h. l. mutandum. Nam quod illis locis *Auli filius* nominatur sine ulla scripturae varietate, nisi quod II. 3, 1 pro *A. filio* scriptum est *Afilio* et *Atilio*, non probabile facit librarios hoc loco gravius errasse et *Aufidio* scripsisse pro *A. filio.* Orellii autem argumento opponam Barth. Borghesii auctoritatem, qui putabat hic esse sermonem de T. Aufidio, cuius memoria servatur in Cic. Bruto, 179, in orat. p. Flacco, 45, et apud Val. Max. VI. 9, 7. vid. Borghesii Oper. T. VII. p. 586. Ille, si Asiam pro praetore ante P. Varinium ɔ: ante a. 682 rexit, cur non potuit a. 689 de consulatu petendo cogitare?

I. 1, 2. *Nostris rationibus — addiderim.* Quae seqq. post *viae Flaminiae* mendose descripta sunt in codd. MZ. In re incerta Bait. et Klotz. codicis M. scripturam intactam reliquerunt, Wesenb. plus ausus verba ita edidit: — *quae tum erit absoluta: sane facile eum ac libenter Caesari consulem accedere viderim*, partim Schutzium, partim Sigonium et I. F. Gronovium auctores secutus. Hoc modo obtinemus sententiam optimam, nihilque in verbis inest quod Tullio indignum sit. *facile et libenter* saepius iunxit, velut ad Att. IX. 7, 5 p. Sull. 64. Post *libenter* inserendum est *nunc* quod in Z. cum sequenti vocabulo in *nunciteri* conflatum est, in Med. autem plane adest. Sed *accedere* pro adiungi, addi non placet. Vide ne praestet e corrupto *acciderim* elicere *addi viderim*, quam *accedere viderim.*

I. 14, 4. *Si unquam mihi περίοδοι ἢ καμπαί ἢ ἐνθυμήματα ἢ κατασκευαὶ suppeditaverunt.* Non debueram in h. l. codicis Tornaesiani fidem praeferre Mediceo, in quo ter *si* pro ἢ scriptum est. Recte post me *si κ. si ε. si κ.* ediderunt. Cf. de Fin. I. 69: *Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos — udamare solemus.* De Leg. I. 7: *huius si vita, si mores, si*

cultus denique non omnem commendationem ingenii everteret. Fam. V. 2, 10: *si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum a tuis oppugnatus.* Sed non poenitet me de Bosii coniectura *καμπαὶ* scripsisse pro *καρποὶ*. P. Victorius iam vidit *καρποὺς* vix posse defendi, et Casaubonus Bosii inventum ita munivit, vix ut de veritate dubitari possit.

In eadem § omnes nunc scribunt *de vilitate*, pro quo in Med. male scriptum est *de utilitate*. Laudavi locum e III de Off. 52, ubi eadem nomina sunt permutata. Addo nunc in Plinii H. N. XXVI. 43 bonos codices dare *utilitatem*, sed Vossianum recte servare *vilitatem* et in Panegyrico incerti scriptoris Constantino Aug. dicto c. 24 recte Acidalium emendasse *qui vitam pro victus sui vilitate contemnat*, quum in libris scriptis esset *provectus sui utilitate*. Sed non probanda est nuper proposita permutatio horum nominum in Vitruvii III. 3, 1, ubi in descriptione atrii tetrastyli verba *et utilitatem trabibus et firmitatem praestant* facilius explicari possunt, quam si *vilitatem* ɔ: modicum pretium in utilitatis locum posueris.

I. 14, 5. *Homines ad XV Curioni nullum Sctum facienti assenserunt.* Interpretationem ad haec verba adscriptam, *Sctum facere nullum* dictum esse hac vi ut idem sit atque Sctum tollere vel delere, falsam esse cognovi. Tam h. l., quam ad Fam. VIII. 9, 5 et apud Livium III. 40 *nullum facere Sctum* est idem quod ad Q. fr. II. 12, 3 dicitur *nihil decernendum censere.* Recte igitur Drakenborchius ad Liv. XXVII. 25, 3 *facienti* interpretatur *faciendum censenti.* Curio poterat hanc causam afferre cur nihil a senatu decernendum censeret, quod senatus habebatur die comitiali. Cf. C. Bardt in Hermae vol. VII p. 19 seq. et IX p. 322.

I. 16, 3. *Non unquam turpior in ludo talario consessus fuit.* Vulgo *ludum talarium* h. l. et de Off. I. 150 explicant quasi fuerit locus, quo aleatores convenirent. Sed hi tesseris ludebant, non talis. Et Cicero de Off. l. c. sordidos quaestus enumerans non poterat aleatores in iis ponere; nam hi non omnes quaestum faciunt. Ipsa quoque verba: *Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium* de aleatoribus non esse sermonem docent. *Ludus talarius* non diversus est a *ludo talari*, quem dicit Quintilianus I. O. XI. 3, 58, ubi eos vituperat, qui *fori sanctitatem ludorum talarium licentia* solvunt. Cogitandum de ludo musico, in quo citharoedi vel histriones stola ad talos demissa induti prodibant ut homines de plebe delectarent. Laudatur M. Hertzii disp. de ludo talario in Indice scholarum univ. Vratisl. a. 1873, quam nondum vidi. A talo derivantur adiectiva *talaris* et *talarius*, ut a ioco iocularis et iocularius, a palma palmaris et palmarius, a mola molaris et molarius.

I. 16, 5. *Ad me autem eadem frequentia convenit, quacum abiens consulatu sum domum reductus.* Ne quis dubitet an non dicatur *cum frequentia reduci*, afferam

verba e Verr. I. 18 *Hortensius — domum reducebatur e campo cum maxima frequentia ac multitudine* ɔ: ab amicis et assectatoribus, quibus alii frequentes se coniunxerant. Sed neutro loco defenditur, quod cod. Med. in ep. ad Brut. I. 3, 2 praebet: *nam tantae multitudinis, quantam capit urbs nostra, concursus est ad me factus. ea cum usque in Capitolium deductus sum.* Insolita anastrophe praepositionis verba suspecta reddit, recteque B. et W. e Cratandrina scripserunt *a qua* pro *ea cum.*

I. 16, 7. *Tanto imposito rei p. vulnere.* In adnotatione ad haec verba ex orat. p. Sestio 17 attuli *vulnera inusta rei publicae.* Non eandem, sed similem locutionem restituendam censeo in fragmento Licinii Macri apud Nonium p. 259, ubi legitur: *Illi suam vitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra sunt vulnera vitae, novae cicatrici ut locus non sit.* Scribendum est: — *vulnera usta.*

I. 16, 12. *Sed Scta duo iam facta sunt odiosa — unum, ut apud magistratus inquiri liceret, alterum, cuius domi divisores habitarent, adversus rem publicam.* Nollem me obtemperasse Ernestio *alterum* insititium iudicanti, atque e duobus Sctis unum fecisse. Recte errorem meum reprehendit Meutznerus in Nov. Ann. Philol. Vol. XCV, p. 696, cuius verba describam: „Boot irrt, wenn er *alterum* tilgen und beide in ein Setum zusammenziehen will; die beschlüsse sind an sich wesentlich verschiedener art, wenn auch durch beide der Consul getroffen wird, und noch weniger kann man ihm zugeben, dasz das zweite Sct., von welchen Cicero spricht, dasjenige gewesen sei, durch welches der tribun Lurco von der beobachtung der *lex Aelia et Fufia* entbunden wurde. Woher wissen wir denn, dasz dies durch einen senatsbeschlusz geschehen sei? Könnte es überhaupt durch einen solchen geschehen? Lag nicht vielmehr die entbindung darin, dasz er als *homo claudus* zu dem amte gewählt war und dasselbe auch antrat? Dies eben liegt — in den worten *simul cum iniit, solutus est* und wird bestätigt durch II. 9, 1 *Festive — neglexerunt.*"

I. 18, 1. *Et in publica re socius et in privatis omnibus conscius — esse soles.* Non credo Ciceronem concinnitatis causa ob praecedens *in publ. re socius* pro *privatarum omnium conscius* scripsisse *in privatis omnibus conscius.* Repono *consors*, quod melius respondet *socio.* Ita Cicero in Bruto, 2 Hortensium vocat *socium et consortem gloriosi laboris*, Horatius Carm. III. 24, 60 *consortem* et *socium* iungit, et in Manilii Astron. III. 120 sq. quintus gradus *et socios tenet et consortes.* Consors solet quoque cum genetivo iungi, sed in Verr. act. sec. III. 155 prodit *consors in lucris atque furtis*, quo exemplo satis munitur *in privatis omnibus consors.*

I. 18, 2. *In re publica vero quamquam animus est praesens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicina efficit.* Sententiam, quae verbis corruptis inesse

debet, hanc esse suspicamur: Etsi de re publica semper cogito, tamen quomodo eam sanare possim non invenio. In verbis corrigendis praeter Graevium, quem temere probavi, operam posuerunt Orellins in utraque editione, Madvigius Adv. crit. II p. 235, Mendelssohnius in Act. soc. philol. Lips. I p. 407, Wesenbergius in Emendd. alt. p. 87. Memorabilis est Io. Frid. Gronovii coniectura, quam prodidit in dictatis saepius a me laudatis: *voluntas socium* (pro *sociorum*) *atque etiam ipsa medicinam effugit* (ultima cum Bosio), quae sic interpretatur: „ad rem p. curandam etsi satis est mihi animi, tamen et destitunnt me adiutores et ipsa se non praebet curationi," comparans *effugere vituperationem* (Att. XVI. 7, 5) et e Livii praef. *donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus, perventum est.* Madvigius nuper in libello Danice scripto (Kort Udsigt over det philol. hist. Samfuuds Virksomhed i Aarene 1876—1878) p. 5 haec fere de h. l. monuit: „In *efficit* latere *deficit* alii docuerunt. *Voluntas* non potest seiungi ab animo praesenti nec *deficere* dici; vires sunt, quae deficiunt voluntatem. In *voluntas* latet accusativus participii, quod est obiectum verbi *deficit*, et quo pertinent *etiam atque etiam; volentes* (pro *conantes*) non satisfacit, potius *volutantes:* „nostra perpetua meditatio non potest invenire medicinam." Sed *volutare* non habet eam vim in scriptis Ciceronis excepto de Re P. I. 17." Pace summi viri dicam *volutantes* mihi non satisfacere. In l. l. de R. P. illud verbum ne adest quidem, sed *volitare et vagari* iunguntur, ut saepius, respiciturque ad Ennii de se dictum in epigrammate: *volito vivus per ora virum.*

Proxime ad veram scriptoris manum accedere mihi videtur haec loci scriptura: *In re publica vero quamquam animus est praesens, tamen voluntas civium atque etiam ipsa medicina deficit.*

II. 5, 2. Quum vel e Med. scribere debuissem *videte civitatem meam*, vel e Torn. *videte vitam meam*, signo corruptelae utrivis scripturae praeposito, male Bosianum *vide securitatem meam* recepi, quod minime probandum esse in adnot. declaravi. Kahntii coni. *vides curiositatem meam* non magis nunc satisfacit, quam Meutzneri *vide vilitatem meam*, quod ironice diceretur, aut Klotzii *vide caritatem meam!* Muretus V. L. V. 11 recte vidit in illis latere *levitatem* et Wesenbergius non *vide*, sed *vides* a Cicerone esse scriptum.

II. 9, 1. Initio huius epistolae non debueram cum Mureto V. L. XIV. 8 formulam, qua Cicero in litteris ad Atticum nunquam usus est, ei obtrudere, sed retinere illud, quod in cod. Med. plane scriptum est *subito quum mihi dixisset.* Verum distinguendum est post *subito*, quia illud adverbium referri debet ad *haec scripsi raptim.* Cf. Fam. III. 7, 1: *Haec scripsi subito, quum Bruti pueri — se Romam properare dixissent.*

II. 12, 1. *Emittat ad me Publius, qui obsignent.* Quod olim scripsi *mittat*

h. l. requiri, id nunc repeto. Emittebant aliquem e carcere, e vinculis, ex urbe, emittebant tela, saxa scil. e manibus, sed mittebant, qui aliquid nuntiaret vel denique faceret. Idem error facilius committitur, ubi *e* praecedit, ut in Curtii III. 27, ubi omnes fere codd. dant *eques a Parmenione emissus*, unus Florentinus verum *missus* servavit. Idem participium restituendum est in fragmento Catonis apud Charisium p. 124 Lindem. et in Orat. Ro. fragm. a Meyero collectis p. 33 ed. sec., ubi sic editur: *Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque.* Corrigo: — *nisi misso praesidio magno frumentoque.*

II. 14, 2. *Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum, atque imparem basilicam tribui Aemiliae* ɔ: atque basilicam, quae capere non possit tribum Aemiliam. Sic hunc locum scribendum videri in adnotatione declaravi. Aliter visum Madvigio in horreo Gallico Revue de Philologie II p. 186 seq. Nam quum e codd. Med. et Crat. *partem* notetur, ille omnia sana iudicat, modo sic distinguas: *At quam partem basilicae! tribum Aemiliam.* Quae sic interpretatur, quasi Cicero hoc dicat villam suam non solum esse basilicam, sed eam basilicae partem, in qua tribus Aemilia valde frequens consistere solebat. Audio, sed donec Madvigius probaverit *tribum* posse dici *partem basilicae*, meam correctionem non repudio.

II. 16, 4. *Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis; εἰ δὲ μή, — in hac re malo universae Asiae et negotiatoribus.* Omnia perspicua praeter v. *discedere*, quod interpretes varie explicare conati sunt. Manutius elegantem, ut vocat, sententiam interpretatur: „Si possum consequi, ne Graeci causa cadant;" quod etsi assensum tulit Ruhnkenii in dictatis ad Ter. Phorm. V. 2, 8 plane falsum est. Nam nec *discedere* potest habere vim consequendi, nec ubi agitur de duabus causis, una publicanorum, altera Graecorum et negotiatorum, altera potest vocari *optima*, quum sit *melior*. Schutzius hoc sensit, sed in explicando v. *discedere* infelix fuit. Nam simplex *discedere* non potest dici pro *discedere a mea sententia*, quam Quinto declaravi, portorium illud non deberi publicanis. Praeterea non intelligo, qui Cicero tunc a sua sententia discedere potuerit aut voluerit. Aliud excogitavit Fred. Hoffmannus in epist. selectis p. 54 edit. 3ae, quocum fecit Meutznerus p. 768 op. l. Accipit v. *discedere* de discessione ab urbe putatque Ciceronem hoc velle, se, si possit urbem relinquere, itaque non venire in curiam, quando de ea re ageretur, hoc modo publicanis satisfacturum esse, ne causa optimatium, quae nitebatur concordia senatorum et equitum, in senatu periret. Ne in hac quidem interpretatione acquiescere possum. Cur enim Cicero non posset abesse, quum paene liberum esset senatori non adesse, ut ipse testatur Phil. I. 12? et quomodo poterat sua absentia satisfacere publicanis? Quum ergo nulla explicatio verbi *discedere* pro-

lata sit, quae probari posse videatur, nec melior inveniri, cum Orellio et Wesenbergio illud corruptum existimo. Sed nec illius *discutere*, nec quod hic dubitanter proposuit *disceptare*, placet. Ego conieci: *Si quid possum dispicere* ɔ: si quid possum cogitando reperire, ut nos dicimus: „Als ik er iets op vinden kan." Cf. II. 20, 5. Q. fr. I. 3, 5. II. 2, 3. *Quid* omissum post *si*, ut X. 4, 11 post *sed*. Nam ibi scribendum esse *sed quid opus fuit Hirtio convento?* Schutzius recte vidit, quocum facit Wesenb. emend. alt. p. 120. Verba: *ne causa optima in senatu pereat* non pendent ab his verbis, sed a seqq. *ego satisfaciam publicanis*, ut Schutzius et Hoffmannus statuerunt. *Causa optima* est causa optimatium, ut *optima ratio* in II. 1, 6.

II. 16, 4. *Hoc ego sentio valde nobis opus esse.* Male haec sollicitavi, quae sunt sanissima. *Hoc* est Ciceronis consilium, quod in iis quae praecedunt explicatur. Sententiam bene perspexit Meutznerus, qui verba sic interpretatur: Ich fühle dasz dieses verhalten mir durch die verhältnisse in hohem grade empfohlen wird.

II. 23, 2. *Quam posse me invenire nullam.* Constructio dura et impedita, e Cod. Med. ducta, immerito placuit Gronovio et mihi. Sine ulla dubitatione cum Wes. e cod. Z. scribendum: *quam ego posse inveniri nullam puto.* Pro ultimo vocabulo in eo libro erat *post*, quod Lambinus correxit.

III. 2. *Intelligebam ex eo loco, si te haberem, posse me Brundisium referre.* E praecedenti epistola novimus Ciceronem voluisse, ut Atticus se quam primum (statim) consequeretur. Eum ad se arcessivit, ut scribit in ep. 4. Hoc idem nunc declaratur verbis: *si te haberem* sc. mecum, si te comitem haberem, si tu mecum esses. Cf. adn. mea ad XIII. 9, 1 *quum haberem Dolabellam* et Cobetus ad Brut. I. 15, 1. Nescio quibus argumentis Goldbacherus muniverit suam coniecturam: *si te in itinere haberem;* sed non puto probabilem.

III. 4. De hac epistola disputavit A. G. Zumptius in capite operis de iure criminali reip. Ro., quod inscribitur *der Process gegen Cicero* vol. I. P. II. p. 425 seqq. In nonnullis rebus ab eo cur dissentirem, pluribus verbis declaravi in Academia Regia disciplinarum. Cff. Verslagen der Kon. Akad. Afd. Letterkunde. Ser. II, vol. I, p. 185—193. Verba epistolae, ut mihi corrigenda videntur, apponam: — *ut mihi ultra* quingenta *milia liceret esse, illo pervenire non liceret. Statim iter Brundisium versus contuli ante diem rogationis, ne et Sicca, apud quem eram, periret* et quod *Melitae esse non licebat.* In rogatione correcta erat, ne quis Ciceronem intra quingenta milia passuum ab urbe tecto reciperet, ut tradit Plut. in Cic. 32 et Dio XXXVIII. 17, cuius tria milia septingenta quinquaginta stadia plane respondent quingentis milibus passuum. Nam etsi Plutarchus in C. Graccho 7 affirmat τὸ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγον

ἀποδεῖ, scimus a Dione DCCL stadia aequata esse CM passuum. Vid. LII. 21 coll. l. 1 § 4 D. de off. praef. urbis. Itaque CIƆCIƆCIƆIƆCCL stadia accurate respondent IƆCIƆ passuum. — *illo pervenire non liceret.* Adieci haec praecedenti sententiae, deleto *quum*, quod non est in cod. Med., qui teste Baitero dat *illoc*, qua forma usi sunt Plautus et Terentius, non Cicero. *Illo* est *in Siciliam*, quae rogatione Clodii erat excepta, ut tradit Dio l. c., eaque erat causa cur C. Vergilius praetor noluerit suum familiarem illuc venire. Vid. Cic. p. Planc. 96. — *et quod Melitae esse non licebat.* Cicero a Vibone, ubi erat apud Siccam, se movit Brundisium versus, non petiit Melitam, quod ibi esse non licebat. Aberat illa insula ultra quingenta milia ab urbe, sed erat pars provinciae Siciliae, quam adire ei per legem non licebat. Cf. Verr. lib. IV. 39 et 103.

III. 7, 2. *Cuius* (mortis) *oppetendae tempus honestissimum praetermissum est, reliqua tempora sunt non tam ad medicinam quam ad finem doloris.* Male mihi cessit explicatio huius loci in editione epp. ad Att. Vol. I p. 130; meliorem afferam. Cicero queritur se non vi restitisse furori Clodiano, quum aut vincere, aut honeste perire potuisset, dicitque mortis oppetendae nunc ea tempora esse reliqua, quae mala non fugare, sed tantummodo cum vita dolorem finire possent. Quod igitur optimo tempore non fecit, minus idoneo facere nolebat. Wielandus praeclare: „Aber leider! ist der Augenblick vorbey, wo es *ehrenvoll* war ihm entgegen zu gehen; nun kann er zu nichts helfen als dem Schmerz ein *Ende* zu machen, dem er einst *zuvorkommen* konnte."

III. 12, 2. *Percussisti autem me etiam de oratione prolata.* Etsi nemo desideraret *autem*, si abesset, et *autem* — *etiam* non eleganter se excipiunt (cf. Handii Tursell. I p. 586 sq.), tamen repudio priorem opinionem de nomine aliquo omisso et in *autem* latente, quam merito inanem vocavit O. Heinius in Relat. doct. Gott. a. 1868 p. 551. *Percussisti me etiam de oratione prolata* breviter dictum est pro: Quod mihi nunciasti de oratione prolata, etiam me dolore affecit.

III. 15, 4. *Profecto, si quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, nunquam esses passus me — egere consilio.* Temere in his verbis offendi et audacissimam Pii mutationem probavi. Cicero enim acerbe se vituperat, quod non satis fecerat, ut ab Attico amari *deberet* et antea *debuisset*, simulque oblique tangit Atticum, quod se non melius iuvisset. Si in his haesi, ea quae statim sequuntur: *Sed tu tantum — praetermissum est*, debent et debuerant omnem scrupulum ex animo mihi evellere. Atticus fecerat, *quod erat amoris*, praetermiserat *quod meritis* amici *perfectum oportuit.*

IV. 1, 1. *Cognoram enim — te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum, nec etiam propter meam in te observantiam nimium in custodia salutis meae diligentem.* Male Bosio maiorem fidem habui, qui in Z.

se vidisse testatur *propter ita meam in te observantiam*, quam Lambino qui in eo plane scriptum affirmat *propter meam in te observantiam*, ut est in Med. Itaque repudio Bosii inventum *pro praeterita mea in te observantia*, et recipio leniorem Fr. Hofmanni emendationem, qui pro *nec etiam* scripsit *me etiam*, quod Baiterus et Klotzius in ed. alt. receperunt. Cicero se accusat, quod consiliis amici sui paruerat, et ut vitam servaret patriam reliquerat. Cf. imprimis III. 15, 4.

IV. 2, 1. *Ut in secundis fluxae, ut in adversis bonae.* Recte Meutznerus, Heinius, Klotzius me reprehenderunt quod haec delenda censui. Si partem efficiunt tetrametri, quod integrum in ep. praecedenti § 8 adscripserat, facile nunc Ciceroni in mentem recurrere iterumque citari potuerunt. Diu post iisdem usus est in ep. ad Brut. I. 10, 2. In eiusdem ep. § 2 pro *dolor et magnitudo* melius in antiquioribus editt. et in codd. deterioribus *doloris m.* scriptum esse, quam quod ego de Gulielmii coniectura dedi *dolor et rei magnitudo* Klotzius in Adnott. ad epp. ad Atticum II p. 5 docuit.

IV. 3, 2. *Inspectante urbe* etiam in oratione soluta dici posse, neque a Ciceronis consuetudine abhorrere mihi persuasum est cogitanti quae legimus in or. pro Caelio 78 *in urbis oculis* (cf. Vell. Pat. II. 21 et Tac. Hist. I. 37), ad Q. fr. I. 1, 9 *in oculis clarissimae provinciae*, Verr. act. sec. II. 81 *in ore atque in oculis provinciae.* Eiusdem generis sunt *ego me e complexu patriae eripui* p. Sest. 53, *incredibilis concursus Italiae* Att. IV. 1, 4, *tota in illa concione Italia constitit* p. Sest. 107, et plurimi loci, in quibus nomina urbium pro incolis ponuntur. Cf. Drakenb. et quos ille laudat ad Livii XXXVIII. 29, 9.

IV. 3, 3. *Tum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres.* Domus, quam Milo hereditate ab avo materno T. Annio acceperat, quaeque erat in clivo Capitolino, opponitur ei Milonis domui, quae erat in Cermalo. Cave igitur ne mecum aut cum Cobeto in Mnemos. VIII p. 454 nomen *Milonis* hinc tollas. Confer potius Klotzii Adnott. ad has epist. II. p. 6 seq.

IV. 6, 2. *Sed ille — non miser, nos vero ferri.* Meam coniecturam *nos vero miseri* etiam nunc aliorum coniecturis *ferrei*, *servi*, *miserrimi* praefero. Quod autem W. Hirschfelder nuper proposuit: *nos vero ferimur* sc. fulmine, a Cicerone non poterat scribi. Nunquam ille usus est passiva forma verbi *ferio*, sed scripsisset *icti sumus* vel *percutimur.*

IV. 15, 1. *Ut est ex me et ex te iunctus Dionysius M. Pomponius.* Errasse me video, quum hunc Dionysium, qui memoratur saepius, ut h. l. 8^a, 2, 8^b, 1, 11, 2, VII. 4, 1, scriberem fuisse servum communem Ciceronis et Attici. Fuerat servus litteratus M. Tullii, carus T. Pomponio, ideoque manumissus patroni

praenomen accepit, Attici nomen. Geminum exemplum prodidit haec inscriptio anno MDCCCLI reperta ad viam Appiam et a Borghesio illustrata:

L. Valerius M. F. Ouf. Giddo,
L. Calpurnius M. L(ibertus) Menophil. Valerianus.

Menophilus enim ille a M. Valerio manumissus tamen a L. Calpurnio quodam nomina accepit.

IV. 15, 4. *A. d. III Non. Quint. Sufenas et Cato absoluti.* Scribendum *A. d. IIII Non.*, non solum quod in Asconii argumento Scaurianae p. 16, 17 ed. Kiesslingii, illo die in optimis libris Sozomeni et Montepoliciani indicatur C. Cato fuisse absolutus, sed etiam quod ibidem p. 17, 2 seq. id quod factum narratur *pridie Nonas Quint.* dicitur esse factum *post diem tertium quam Cato erat absolutus.* Nam haec computatio temporis falsa est, si Cato absolutus est *a. d. III Non.*, verissima si *a. d. IIII Non. Quint.* apud Asconium ex optimis libris scriptis, in h. l. Ciceronis e coniectura restituitur. P. Manutius h. l. iam III in IV mutari iussit, sed falso argumento inductus, ut in adnotatione ad haec verba ostendimus.

IV. 15, 6. *Sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam.... Verum haec tu tecum habeto.* Bosii distinctionem hanc verborum probarunt B. K. W. Ego nunc quoque probo, neque cum Lud. Schmidt in Philol. XXVI p. 270 *verum* in *servum* mutaverim, neque cum Hirschfeldero ante *verum* intercidisse putaverim *ieiunum.* Post *nihil tam* omissum suspicor *sine arte.* Antiphon pronunciabat ita prorsus, ut homines vulgo loquuntur, quod erat sine arte, ut Quintilianus l. l. observat. Omiserunt illa librarii, Cicero adscripserat. Cur Atticus haec secum habere, nemini narrare debuerit, non liquet.

IV. 16, 8. *Paullus in medio foro basilicam iam paene texuit iisdem antiquis columnis.* Wesenbergius vere monet *nidum*, *navem texi*, *domum* quoque et *parietem vimine texi*, sed *basilicam texere* (*columnis*) non posse dici, idemque sprevit Klotzii emendationem *erexerat*, quod de basilica non potest dici. Sed non magis placet, quod ille reposuit *texerat* ɔ: tectum iam absolverat, propterea quod non de tecto sermonem esse ostendunt quae adduntur *iisdem antiquis columnis.* Libri MSS. consentiunt in verbo *texerit*, quod in Med. mutatum est in *texit.* Illud mendose scriptum puto pro *refecit.* Nam quod sequitur *facit*, h. l. prae aliis verbis, quae sententiae apta sunt, *refecit* commendat.

V. 11, 2. *Marcellus foede de Comensi* an *in Comensi* scribatur ad rem nihil refert. Utrumque debetur coniecturae, quum libri scripti conspirent in corruptela: *M. sedendi comes.* Inde tamen facilius eruas *fede de*, quam *fede in.* Aliquando *fede* pro *foede* fuisse scriptum testatur Beda de orthographia „*fedus*, quod est deformis per *e* tantum, *foedus*, quod est pactum per *oe* scribitur." Paulo post

dormitans reliqui, quod Bosio debetur: *Ita mihi videtur non minus stomachi nostro ac Caesari fecisse.* Sciebam enim Ciceronem non posuisse *ac* post comparativum. Cff. quae adnotavi ad XIII. 2, 3. Libri scripti dant *nostro Caesari*, quod ironice de Pompeio accipi posse Manutius male putabat. Sine dubio locum correxit Malaspina inserendo *quam*, nec audiendus A. W. Zumpt, qui in Comm. epigraph. vol. I p. 309 pro *nostro Caesari* scripsit *nostro Gnaeo.* Nam neque verisimile est ea nomina a librariis esse permutata, et non scripsisset Cicero *non minus*, si nulla Caesaris mentione facta de uno Pompeio loqui voluisset.

V. 11, 6. *Nam mihi is ter dixit te scripsisse ad se mihi ex illius literis rem illam curae fuisse.* Verba in cod. sic scripta emendavi, ut potui. Sed res fortasse melius cessit Meutznero in censura meae editionis p. 782, qui sic coniecit: *Nam mihi ista dixi te scripsisse atque mihi ex illis litteris rem illam curae fuisse.*

V. 15, 3. *Sed feremus, modo, si me amas, sit annus. Adsis tu ad tempus, ut senatum excites.* In Addendis vol. II. p. 383 monui mihi scribendum videri: *Sed feremus, modo sit annus. Si me amas, adsis tu* (vel *adesto*) *ad tempus, ut senatum excites.* Nunc video Wesenbergium eodem modo verba *si me amas* transposuisse. Quod idem scripsit *modo sit annuum* coll. § 1: *Sed feram, ut potero, sit modo annuum*, non necessarium mihi videtur. Sed quum ad illa verba Malaspina monuit h. l. in vetustis suis ɔ: in A F legi *sit annuus*, concedo tamen ita potius corrigendum esse, quam retinendum quod in codice Med. scriptum est *sit annus.* Nam post *feremus* recte sequeretur *simus annui*, non *sim annuus.*

V. 21, 13. *Commemorat quid olim mali C. Iulius fecerit, quum dieculam duxerit.* Ultima verba sic explicavi: quum tempus solutionis brevissimo spatio prorogarit, ostendique *dieculam* pro brevi mora in usu fuisse in Addendis vol. II. p. 383. Nec mutavi sententiam lectis quae Klotzius in Adnott. ad has epistolas II. p. 12 disputavit, ut commendaret suam coniecturam *quum dieculam prodixerit.* Nam *diem prodicere* latinum esse et usitatum loci a Klotzio allati ostendunt, *dieculam prodicere* nemo dixit nec dicere potuit. *Ducere* autem habuisse producendi, prorogandi vim ostendit Cornelius Nepos in Themist. 7: *dedit operam, ut quam longissime tempus duceret*, ubi vid. Bremii adnotatio, et Martialis XII. 36: *aureolos donas, Possint ducere qui duas Kalendas.* Cf. quoque P. Burmannus ad Lucani Phars. VIII. 479.

VI. 1, 17. Cicero indignatur, quod Q. Caecilius *Metellus Scipio* nesciebat proavum suum P. Cornelium Scipionem Nasicam Serapionem, qui Consul fuerat a. 616, non fuisse censorem, idque et interrogatione *ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum nescit censorem non fuisse?* et disertius etiam in extrema § 18 verbis: *Sed nescire proavum suum censorem non fuisse turpe est* declarat. Ipse vero Metelli errorem nec potuit nec voluit excusare, quod fecisset, si scripsisset,

ut vulgo editur: *Atqui nihil habuit aliud inscriptum nisi* CENSOR *ea statua, quae — posita in excelso est; in illa autem* (vel *item*), *quae est ad Πολυκλέους Herculem, inscriptum est* CENSOR. Atque hic quidem cod. Med. verum servavit *Cos.*, illic una littera mutata, ultimaque restituta verum quod est habebimus. Scilicet in Med. est quidem: *nisi censor ea*, sed postremae tres litterae correctori debentur. Sine dubio ibi scribendum est CONSOL, ut est in Sepulcris Scipionum duobus (in tertio scriptum est COSOL, ut CESOR), in lege Thoria agraria aliisque monumentis saeculi urbis sexti et septimi. Facillime etiam permutantur *cons.* et *cens.*, quae sunt illorum nominum compendia. Prior illa statua ea fuisse dicitur, *quae ad Opis per te posita in excelso est.* Pessime ex *per te* quod in codd. omnibus esse Malaspina affirmat, fecerunt *parte* et scripserunt *ab Opis parte.* Id vero non esse latinum docuit Iordanus in Ephemeride epigraphica vol. III. p. 64 sq. Quod vero ei scribendum videtur *ad Opis* (*opi*) *ferae* longius abit a scriptura codicum, et vix credibile est Ciceronem hoc epitheton Opi tribuisse, quum semper alias *ad Opis* simpliciter dixerit. Cf. Att. XIV. 14, 5; XVI. 14, 4 et saepius in Philippicis. Acquiescendum igitur in codicum scriptura *per te* ɔ: tua opera. Orellius male vitiosum vocat. „Nam qui, rogat, Atticus eam statuam illo in loco posuerit?" Iam Malaspina huic quaestioni responderat citatis verbis ex ep. IV. 9, 1, ubi Pompeius narratur apud Ciceronem gratias egisse Attico *quod signa componenda suscepisset.* Quid vetat credere Atticum, antiquitatis patriae amantissimum artisque studiosissimum, veterem quoque Scipionis Nasicae statuam loco suo deiectam ad Opis in excelso loco ponendam curasse? Negantibus Nasicae statuam ab Attico repositam esse propono hanc correctionem loci corrupti: *quae ad Opis* (*nu*)*per reposita in excelso est.*

VI. 1, 22. *Paria paribus respondimus.* Male de hac locutione dubitavi verbumque seclusi. Terentius (Phorm. I. 4, 34 *verbum verbo, par pari ut respondeas*) solus abunde locutionem defendit. Peius etiam sollicitavi id quod legitur in ep. seq. § 1 *De isto hactenus. Dixerim me vel plurima vincla — optare*, quae sana sunt modo cum Kaysero iungas *De isto hactenus dixerim* et pro *plurima* ab Ernesto accipias *plura.* Wesenbergius utrumque probavit.

VII. 1, 2. *Age, hoc malum mihi commune est cum omnibus.* Male monui *age* in *atque* vel *atqui* mutandum videri. Habet eandem fere vim atque *esto, concedo.* Similiter ponitur in Vatin. 36 *Age, factum est horum aliquid in aliis*, et *age iam* Att. VIII. 3, 5. In § 5 *stultum* illum, qui primus sententiam diceret, nimis patienter tulerunt Baiterus et Wesenbergius. Olim probavi Kochii coniecturam. Ea non amplius mihi placet. Verba sic scribenda et distinguenda puto: *Itaque esto: a l i u s primus suam sententiam dicat, mihi valde placeat de triumpho nos moliri aliquid, extra urbem esse cum iustissima causa, tamen dabunt*

operam, ut eliciant sententiam meam. Esto sequente coniunctivo legitur de Fin. II. 61 p. Deiot. 30. In § 9 huius epistolae, ubi editur: *Hanc quoque suscipe curam quemadmodum experiamur*, ultimum voc. mutandum esse in *expediamus*, ut paulo ante scripsit *reliqua expediamus*, in margine notavi, idemque a Wesenbergio in adn. critica nunc video proponi.

VII. 2, 3. *Nam Alexidis manum — non valere.* Praeclara mihi videtur Meutzneri emendatio p. 708 l. l. proposita, qui littera *c* in *s* mutata, unaque littera addita scripsit: *Nam Al. manum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae, litteras non amabam, quod indicaba*NT *te non valere.* Sed idem vir doctus mihi non persuasit in ea quae de Tirone sequuntur, duplicem glossam irrepsisse, delendaque esse *et adde, si quid vis*, et *nihil vidi melius.* Potius adsentior Wesenbergio *adolescentem* non posse carere adiectivo, et aptissimum esse *doctum* (cf. Emend. alter. p. 109), sed pono illud post *nosti:* „adolescentem, ut nosti, doctum et adde, si quid vis, probum." Eadem orationis forma est in Horatii Sat. II. 7, 39 *Imbecillus, iners, si quid vis, adde popino.*

VII. 2, 8. *Itaque usurpavi vetus illud Drusi, ut ferunt, praetoris in eo, qui eadem liber non iuraret, me istos liberos non addixisse, praesertim quum adesset nemo, a quo recte vindicarentur.* In hoc loco explicando erravi putans agi de manumissione inter amicos. Nam ut recte me monuit amicus in aetatis flore exstinctus agitur de Cicerone qui in proconsulatu Ciliciae apud se ipsum servos manumisit. *Addicere* est verbum legitimum de magistratu, qui in mancipatione aut in iure cessione vindicanti hominem cedit. Cf. Gaius I. 134; II. 9 sq., 24, et *ab aliquo vindicare* non indicat per eum, sed de eo postulare, ut e primo Gaii loco apparet: „*ab eo* (ɔ: a patre) is qui adoptat, *vindicat* apud praetorem filium suum esse, et illo (ɔ: patre) contra non vindicante a praetore vindicanti filius *addicitur.*" Ciceronis tempore talis manumissio vix erat legitima, ob eam causam quae enuntiatur verbis: *quum adesset nemo, a quo recte vindicarentur.* Nam dominus praetoris vice functus non simul poterat esse is, a quo vindicarentur. Ulpiani demum tempore quin magistratus apud se manumittere posset nemo dubitabat.

VII. 3, 5. *Bibulus de provincia decessit —; in decedendo erit, ut audio, tardior.* Cave putes haec inter se pugnare. *Decedere de provincia, provincia* et simplex *decedere* usitata sunt de toto itinere e provincia ad urbem. Cf. Brut. 1. Corn. Nep. Att. 4. Id quum nesciret Franc. Luisinus Parergon III. 27 (Venetiis 1551) coniecit *Bibulus — praefecit* continere Attici quaestionem, sequentia Ciceronis responsum Nec felicior idem fuit III. 34, quum in h. l. ep. 5, 3 negatione transposita scribi iuberet: *De Chrysippo, meum consilium non probari tibi moleste fero.* Nesciebat *non moleste fero* esse eius, cui aliquid iucundum est.

VII. 5, 3. *Inde Albanum Pompeii.* Scribe: *inde in Albanum P.*, ut paulo

ante *non venisse in Arcanum*, h. l. 7, 2 *in Albanum venire*, in Pis. 77 *ad eum multi oratum in Albanum venerant* et de Or. II. 224 *in Albano eramus*. In seq. § pro *ut putant* iam non *ut putavi* cum Manutio, nec *ut putavit* sc. Pompeius cum Meutznero, sed *ut putaram* de Wesenbergii coniectura verum censeo.

VII. 8, 5. *Ex illa autem sententia infamia relinquendae urbis movet hominem ut puto, maxime.* Ita nunc haec restituenda puto cum Wesenbergio, nisi quod hic Emend. alt. p. 111 ex *in* post *sententia* in cod. Med. aliisque libris servatum coniecit *indignitas*, quum aliorum codd. corruptelae *nif* et *infra* magis commendent, quod scripsi, *infamia*. Nolebat Pompeius in Hispaniam provinciam suam abire et Caesari consulatum concedere, quo pacto pacem servare poterat, maximeque eum movit infamia, quam caperet urbe relicta. *Ex sententia movere* recte dici Klotzius docuit coll. de N. D. III. 5 *nec me ex ea opinione — ullius unquam oratio — movebit.* Sententiam autem *illam* dicit pacis expetendae, ut e praecedentibus verbis: *Non modo non expetere pacem istam sed etiam timere visus est* efficitur.

VII. 10. *Cnaeus noster — adhuc in oppidis coartatus et stupens. Omnes, si in Italia consistat, erimus una.* Male dubitavi de verbis *Cnaeus — in oppidis coartatus*, quod unus homo non potest coartari in pluribus oppidis. Dux, ut saepe, ponitur pro militibus et, ut Klotzius Emend. II. 14 recte observavit, Cnaeus sic dicitur suas copias nondum explicasse, sed in oppidis collocatas tenere. Recte contra dubitavi de coniunctione *coartatus et stupens*. Nam falso dicitur *omnes — erimus una*. Cicero de se solo loquitur, nihil de aliis, multo minus de omnibus affirmat. Recte intellexi *stupent omnes* esse scribendum, totumque locum cum Klotzio sic nunc lego: — *adhuc in oppidis coartatus est. Stupent omnes. Si in Italia consistet, erimus una; sin cedet, consilii res est.* Futurum *consistet* pro *consistat* debetur Wesenbergio.

VII. 14, 3. In hac § plura mutanda iudicavi, ob id reprehensus ab O. Heinio p. 551 op. l. Videamus de singulis. Negavi in verbis: *quaeso videas, ut satis honestum nobis sit eas Romae esse* posse tolerari *ut*, pro quo requirebam *num*. Ille mihi opposuit ex or. de imp. Pomp. 68 *videte ut horum auctoritatibus illorum orationi — respondere posse videamur*, ubi Baiterus recte omnium codd. scripturam *videte ut* restituit, interpretans „quam bene, quam apte." *Videte ut* eodem modo dicitur in orat. de lege agr. I. 2. At id non quadrat in verba a me temptata. Cicero enim h. l. non rogat amicum ut videat quo modo mulieres satis honeste Romae esse possint, sed num satis honestum maritis sit eas Romae esse; de quo ipse valde dubitabat, ut apparet ex iis quae sequuntur. — Deinde seclusi *ea* in verbis: *praesertim quum* EA *praedia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in iis pro re nata non incommode possint esse*, propterea

quod aliter non *in iis*, sed *in quibus* sequi debere putabam. Heinius recte mihi obiecit Ciceronem id non scripsisse, ne duae sententiae relativae se exciperent. Itaque obelo liberetur *ea*. — Postremo Heinius defendit *sed*, quod mihi suspectum erat, usus hoc argumento ea particula rediri ad orationem pluribus verbis interpositis abruptam, in epistola autem verba *quod quidem ego praestare non debeo* posse pro longiori parenthesi haberi. Illud sciebam, hoc non negabo, quum idem factum sit initio ep. X libri primi ad Att., ubi cf. adnot. mea. Sed maneo in sententia Ciceronem, si hoc voluisset, scripturum fuisse: *sed si quid offendimus id fit maius*, ut in illa epistola scripsit *quum essem in Tusculano — verum tamen quum ibi essem*. H. l. *sed* non potest servari, nisi cum Orellio, Baitero et Klotzio distinguas: *Nam si quid offendimus in genero nostro — quod quidem .... remanserunt —, tu ipse cum Sexto scire velim quid cogites de exeundo*. Sed non probamus eam distinctionem, ex qua oritur absurda sententia. Nam ita protasis et apodosis nullo vinculo continentur, haec ex illa prorsus non apta est.

VII. 23, 3. *Nisi quid eius fuerit*. Hanc codd. scripturam vitiosam dixi et nunc quoque credo me recte emendasse *nisi qui deus fecerit*, etsi id non placuit Baitero, Wesenbergio, Klotzio. Locis a me laudatis ex I. 16, 6. Fam. XVI. 12, 1, ubi teste Baitero in Med. *nisi quideius* scriptum est, plane ut h. l., addo Att. VII. 1, 2 *nisi idem deus — respexerit rem publicam*.

VIII. 5, 1. *Pollicem* a Cicerone potuisse vocari *servum a pedibus meum* cum Ursino negavi, sed in verbis illis proscribendis fui fervidior. Id quod Med. aliique codices dant *s. a pedibus meis* ita potest defendi, si cogitamus servum ante pedes domini iacuisse, quum subito Romam missus sit ad epistolam temere missam repetendam. Cf. Klotzii Adnott. ad has epp. II. p. 16, qui recte comparavit locum ex orat. p. rege Dejot., 2, ubi Castor dicitur *avi servum a legatorum pedibus* abduxisse.

VIII. 7, 2. *Quod enim tu meum laudas et memorandum ducis, malle quod dixerim me cum Pompeio vinci quam cum istis vincere*. „Recte quidem *meum* sic explicatur, ut sit = *meum dictum*, sed, ut possit sic explicari, necesse habui inter *ut* et *meum* addere *illud* (*ill*UT)." scripsit Wes. em. alt. p. 113. Si rem acu tetigit, debet probare Cobeti iudicium, qui in Mnemosynes vol. VIII. p. 454 verba *quod dixerim* valde frigidam ἐξήγησιν appellat. Ego ab utroque dissentio, scribendumque censeo: *Quod enim tu* ME *laudas et memorandum ducis quod dixerim malle me cum P. vinci* cet.

VIII. 14, 1. *Caesar — iis dictis militum celeritatem incitat*. Klotzius pro *diaris*, *diariis*, *triariis* coniecit *congiariis*. Cf. Adnott. II. p. 17. Iam P. Victorio id in mentem venerat. Ego teneo, quod edidi *dictis;* nam in optimo codice Z. tribusque codd. a Manutio laudatis sic scriptum est, et est aptissimum. *Dicta*

sunt breviter et commode dicta, ut scribit Cic. in Lael. 1, quae Graeci vocabant *ἀποφθέγματα*. Caesarem talia dicta in deliciis habuisse novimus ex ep. Cic. ad Paetum IX. 16, 4 et e Suet. Caes. 56. Quantum valeant talia dicta ad militum animos excitandos nemo ignorat, qui historiam gentium legit.

IX. 1, 1. *Postquam ille Canusio moverat*, nimirum se vel exercitum, non castra, ut alios secutus scripsi. Drakenb. ad Liv. X. 4, 9 exempla verbi ab illo scriptore absolute positi plura collegit, in quibus nonnulla ostendunt non debere *castra* suppleri, velut si dux dicitur *ex hibernis* vel *ex stativis movere* XXII. 1, XXI. 39, et id quod legitur XXV. 9 *Hannibalem exercitumque castris non movisse*. Cf. Suet. Calig. 13 *ut a Miseno movit*.

IX. 5, 1. *Haec qui in mea villa non feram, Curtium in curia potero ferre?* Quum praecedat Postumi (o: Postumi Curtii, ut appellatur ep. 2*a*, 3) et Q. Fufii mentio, mirum hic solum priorem atque alio nomine citari. *Haec* initio sententiae positum utriusque membri subiectum esse puto et *Curtium* male huc illatum. Quod Malaspina e cod. Maffei affert *qui cum*, si cum eo in *qui tum* mutatur, certe longe aptius est quam *cur tum*, ut scriptum erat in cod. M., unde Lambinus fecit *Curtium*. Sed longe optimum videtur haec sic edere, ut dixi: *Haec qui in mea villa non feram, in curia potero ferre?*

IX. 9, 3. *Nos in libris habemus non modo consules a praetore sed ne praetores quidem creari ius esse; consules eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius, praetores autem, quum ita rogentur, ut collegae consulibus sint.* Cobetus in Mnemos. N. S. VIII. p. 198 monuit verba supervacua *non esse ius* expungi oportere. Non defendam, modo simul expungatur *eo*, quod non solum supervacaneum est, sed etiam praeter morem Tullianum causalem vim habet. Cf. supra p. 24 seq. ad Fam. XIII. 26, 1. Etiamsi autem Cobeto concesseris in ep. ad Fam. XII. 18, 1, ubi legimus: *Etsi periniquo patiebar animo te a me digredi, tamen eo tempore me consolabar, quod in summum otium te ire arbitrabar*, ineptam esse temporis mentionem ideoque *tempore* expungi debere, *eo* tamen non convellendum est quum sit ablativus instrumenti.

IX. 9, 4. *Sciebam enim te quoto anno et quantum in solo solere quaerere.* Descripsi ad h. l. Manutii interpretationem, ignarus longe meliorem esse prolatam a I. F. Gronovio ad Senec. de Benef. IV. 12, p. 710 sq. edit. Amst. a. 1672. „Monuerat Ciceronem, sic ille, Atticus de praedio Lanuvino venali, quem illius aliquando cupidum fuisse cognorat; fortasse et nunc arcam suam operamque ei obtulerat. Respondet Cicero se id optasse statim, ut palam factum de Phamea audierit, et quia sua res esset attenuata, voluisse agere cum aliquo amicorum, qui in praesens emeret frueretурque tamquam fiduciario, dum ipsi integrum esset meliori rerum suarum statu illud redimere, ne, si forte in alienas

manus venisset, aut nulla ei postea copia, aut deteriori conditione esset. Dum circumspicit opes amicorum, etsi maxime deditum haberet Atticum, non tamen de illo cogitasse, quem sciret non esse praediatorem, et abhorrere a talibus emptionibus: quippe pecuniam suam malle occupare in eo negotio, in quo quaeri soleat *quoto anno* vel die recepturus eam creditor esset, et *quantum in solo* haberet is, cui collocaret. Nam solitos veteres, cum in creditum irent, constituere diem solutionis, non tantum constat ex libris iuris, sed ex ipso etiam Cicerone, quum aliis locis, tum lib. VII Fam. 23. Atque hoc quod esset Attici in pecunia sua exercenda institutum, negat Cicero illum sibi in mente versatum inter eos, quorum alicui hanc emtionem iniungeret. Nunc autem, quia videtur ipse suum officium obtulisse, narrat quid inter se et Phameam fuerit gestum, et iam quidem non sibi esse tanti, etsi habere velit tamen salubri pretio, nec recuset humanitatem Attici. Quae huc pertinent, ut coniicere posset Atticus, qua conditione emtio Ciceroni placeret."

IX. 9, 4. *Volui HS Q.* Hanc notam numeralem in tribus inscriptionibus Veronensibus animadvertit Mommsenus, eamque explicavit in Hermae vol. III 467 sq. et X. 472, ubi laudatur Priscianus de fig. num. p. 407 ed. Keil., ubi ex optimis libris scrib: „*quingenta milia per q' quod est initium nominis et apostrophon.*" Quae sequuntur corrupta esse monui et dubitanter correctionem proposui. Sed longe meae praefero Wesenbergii hanc coniecturam: „*Egi per* *** (excidit nomen alicuius), *praedium ut ille renderet* (sc. quingentis milibus)."

IX. 10, 4. *Volumen epistolarum tuarum.* Recte doctus Gallus G. Boissier in disq. de ratione qua Cic. epistolae collectae et editae sunt p. 26 monuit veteres epistolas, quas servare volebant redegisse in volumina, coll. Cornelio N. in Attico, 16, ubi laudantur XI (vel XVI) *volumina epistolarum*, quas Cicero a consulatu usque ad extremum tempus ad Atticum miserat, et Fam. XVI. 17, ubi Tironi scribit: *Video quid agas: tuas quoque epistolas vis referri in volumina*, quae vulgo male de editione epistolarum Tironis accipiuntur. Addas licet ad Q. fr. I. 2, 8 *ex eo esse volumina selectarum epistolarum.*

IX. 18, 2. *Quae — νέκυια, in qua erat † ero sceleri.* Vide quae ad h. l. adnotavi. Plures deinde verbis desperatis mederi conati sunt, velut Meutznerus coniecit: *quae vero scelera!* Kappeynius *quae caterva scelerum!* Klotzius *quae — νέκυια, in qua erat! o scelera!* Quomodo *Eros Celeris* Wesenbergio ita placere potuerit, ut sine mendae suspicione ei locum daret, non intelligo. Quidvis malo quam istum hominem ignotum.

X. 10, 3. Operae pretium facturus esse videor, si verba misere corrupta a *temptabo* ad *dignum nobis* hic descripsero, quemadmodum e Wesenbergii et Cobeti coniecturis scribenda sint. Vidd. illius Emend. alt. p. 121, huius Variae

lectiones p. 476 ed. sec.: *Tentabo, ut ei persuadeam me nihil properare, missurum ad Caesarem: clam abibo, me cum paucissimis alicubi occultabo, caute hinc istis invitissimis evolabo, atque utinam ad Curionem! Σύνες ὅ τοι λέγω* (*CINECΩTΘIΛETΩ* Med.) *efficietur aliquid dignum nobis. Magnus dolor accessit: δυσουρία tua mihi valde molesta est.* Omnia sic recte procedunt et facile intelliguntur praeter votum quod continetur verbis *atque utinam ad Curionem!* Illo tempore Cicero spem posuerat in Curione, de qua re biduo post scripsit, ep. 12*a*, 1: *ego enim Curionem nactus omnia me consecutum putabam.* Ideo suspicor hic eum scripsisse: *atque curram ad Curionem.*

X, 12*a*, 2. *Concursus Siculorum ad Catonem dicitur factus. Non credo, ut est luculentus auctor.* In adnot. ad haec verba dubitanter proposui: *ut sit luculentus auctor* ɔ: etsi ille rumor bono auctore nititur. Sed praestat geminare *ut*, et scribere *utut est l. auctor.* Nam Ciceronem non abstinuisse illa particula docet *utut erit* in XV. 26, 4. Non opus est violento remedio Wesenbergii *ut* in *nec* mutantis. Qui enim scribit: *utut est l. auctor*, nihil affirmat, sed rem incertam relinquit. Cicero itaque hoc dicit: quisquis est illius rumoris auctor, tamen non credo, sed scio Siciliam potuisse teneri.

X. 15, 4. *Ego, dum panes et cetera in navem parantur, excurro in Pompeianum.* Immo *panis.* Ubi indefinite sermo est de pane semper singulari numero Graeci et Romani usi sunt, et recentiores populi eodem modo loquuntur. Ne utar testimoniis poetarum, quae abundant, cf. Cic. in Pis. 67 *panis et vinum a propola atque de cupa.* Corn. in Them. 10 scribit Regem ei dedisse Magnesiam, *quae ei panem praeberet*, quod idem Thucydides I. 138 sic narraverat *δόντος βασιλέως αὐτῷ Μαγνησίαν ἄρτον.* Cf. quoque Salustii Iug. 44 *panem in dies mercari* et 45 *ne quisquam in castris panem — venderet.* Plin. H. N. XVIII. 83 *pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos* affirmat. Ulpianus in l. 12 § 5 Dig. XXXIII, tit. VII scribit de Trebatii sententia instrumento legato contineri quoque *mulieres, quae panem coquant.* Ne plura, quis nescit populum in urbe anxium optasse *panem et circenses.* Peerlkampii dubitatio de verbis *in navem parantur* non tollitur eo, quod Wexius in Proleg. ad Taciti Agricolam p. 86 *navi* dictum esse pro navigatione contendit. Nam in locis ibi laudatis *navi* nihil aliud est quam navigio, eique respondet nostrum *te scheep.* Poetae aliquando sic locuti sunt, velut Plautus in Amph. I. 1, 173 *Lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum;* sed Ciceronem hic poetice locutum esse quis credat?

XI. 6, 3. *Ingero praeterita.* Verbum *ingero* Orellio mihique suspectum erat, ut ἅπαξ εἰρημένον in scriptis Ciceronis. Fortasse tamen ferendum est et sic accipiendum ut legitur in Taciti Ann. IV. 42, Hist. IV. 78, ubi habet vim commemorandi, proferendi.

XI. 7, 4. *Sulpicii consilium* non erat manendi in Italia, sed ille post pugnam Pharsalicam se in Asiam contulit et commoratus est Sami, ubi M. Brutus eum audivit. Brut. 156. Cf. Borghesii Opp. T. VII. p. 300.

XII. 3, 2. Ultima verba epistolae, quae librarius Med. hic omisit, sed infra in lib. XVI ep. 5 iterum hanc epistolam describens posuit, male in mea editione omisi: *Tu Atticam, quaeso, cura et ei salutem et Piliae, Tulliae quoque verbis, plurimam.* Cf. ep. 1 h. l., unde novimus Atticam illo tempore febricula commotam fuisse. Paulo ante, quod hic mendose in codd. Z M. scriptum est *clypo*, non emendari alterius exempli scriptura *Olympo* mihi persuasum est. Quis enim ille Olympus? Dum melius affertur, in *ἀτύπῳ* ɔ: Balbo acquiescendum censeo. In seq. ep. non debueram coniectura inutili temptare, quae sana sunt: *si a sententiis eius dictis — recedam.* Agitur de sententiis a Catone in senatu dictis.

XII. 23, 2. *Scriptum est in tuo Annali.* De eo libro Attici praeter l. l. ex Oratore, ubi Atticus *conservatis notatisque temporibus, nihil quum illustre praetermitteret, annorum DCC memoriam uno libro* colligasse traditur, videantur Cic. in Bruto, 13—15. Corn. Nep. in Hannib. 13, in Att. 18, Asconius in Pison. 52, ubi MSS firmant singularem numerum, non quod editiones antiquiores habent *in annalibus.*

Ibid. 3. *Quanti licuisse tu scribis* ɔ: quanti emere licuisse scribis. Nam *licere* non habere vim aestumandi in auctione, sed in hoc similibusque locis modum dicendi ellipticum esse demonstravit Rostius in Comm. Plautinis p. 124 seqq.

Quantiquanti est sermonis familiaris, ut *quantusquantus* in Plauti Poenulo III. 4, 28 et in Ter. Ad. III. 3, 40. Phorm. V. 8, 10.

XII. 46. *Nam dolor idem manebit, tantummodo tectior.* Sic scribendum videtur. Parva mutatione hoc efficitur e corruptelis cod. Med. *tantummodo octius* et cod. Lamb. *tantummodestius.*

XIII. 14 extr. *Etsi nomina iam facta sunt; sed vel induci vel mutari possunt.* Quaeritur cur Cicero dicat *nomina* Attici, Varronis et suum iam *facta* esse, non *scripta*, quum indicare vellet ea a librariis disputationi esse interposita. Credo eum cogitasse literarum obligationem, in qua nomina fiebant et, si ita videbatur, induci ɔ: deleri poterant. Cf. IV. 17, 2. Sententia verborum haec est. Id quod Varroni promisi vel revocari vel ad aliud opus transferri potest.

XIII. 21, 2. *Inhibere.* Quae de h. l. adnotavi, iis nunc addo hac Ciceronis disputatione de recto alicuius verbi usu eleganter usum esse Iac. Wallium in Praef. ad lectorem Poematum suorum p. 16 edit. Antv. a. 1699.

XIII. 22, 4. *Ego, ut constitui, adero, atque utinam tu quoque eodem die: sin quid — multa enim — utique postridie; etenim coheredes, a quibus sine te opprimi malitia est.* Ita haec edidit Wesenbergius et in Emend. alt. p. 132

15

rationes reddidit cur pro *a quis* et *militia*, ut est in codd. scriptis, *a quibus* et *malitia* scripserit. De illo plane assentior; *malitia* vero sententiae non congruit. Requiro aliquid, quo Cicero declaret se destitutum Attici consilio (*sine te*) metuere, ne a coheredibus Brinnianis fallatur. Id habebimus scribentes: *a quibus sine te opprimi male tuti est. Male tutus* non est i. q. male sanus, ut Bentleius volebat ad Hor. Sat. II. 3, 137, sed est non valde tutus et munitus adversus illos coheredes. Cf. Peerlkampius ad Hor. Sat. p. 118. Quae praecedunt O. Ribbeckius in libro de particulis latinis Lipsiae a. 1869 edito p. 15 sic distinxit: *sin — quid enim multa? — utique postridie*, ut posset *sin* interpretari: „si non aderis." Vellem etiam interpretatus esset verba: *quid enim multa?* Ego in scriptura tradita non haereo, quae hoc dicit: sed si quid te morabitur, ut multa incidere possunt, adsis saltem postridie.

XIII. 28, 2. *Non possum* ɔ: a me fieri non potest: „das ist mir unmöglich," ut vertit Wielandus. Cf. Ter. Heaut. V. 5, 18 *Rufamne illam virginem —? non possum, pater.* Sen. Controv. I. 4, 8. *Si quid exegeris maius viribus meis, dicam: ignosce, non possum.*

XIII. 47*a*. Verba alicuius poetae, quibus Cicero initio epistolae utitur, alia forma litterarum indicavi. Vellem iis addidissem v. *extemplo*, quo Cicero alias non utitur excepto uno loco orationis p. Rosc. Com. 8, qui habet colorem poeticum. Cf. fragmentum Varronis apud Nonium p. 263: *Quem simul ac Romam venisse mi attigit aures nuntius, Extemplo meos in curriculum contuli propere pedes.*

XIII. 52, 1. (Caesar), *dum audivit de Mamurra, vultum non mutavit* e cod. Torn. recte receptum est, quum in cod. Med. *vultum* esset omissum. Nam *vultum mutare* est usitata locutio, cuius plura exempla collegit Arntzenius ad Aur. Vict. epitom. 16, 7. Ergo non utor speciosa coniectura Ott. Hirschfeldii in Hermae t. V p. 299 proposita: *tum audivit de Mamurra; non muttivit* ɔ: nihil dixit, ne sonum quidem edidit [1]). Ut librarii h. l. *vultum* omiserunt, sic in Or. p. Sestio 19 idem nomen iugularunt. Nam quum in descriptione Pisonis consulis Cicero rogasset: *Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium, sed pignus rei p. videbatur?* sic perrexisse putatur: *Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio annus ille niti tanquam vade videretur.* Sic enim verba edi solent de coni. Madvigii, qui locum in antiquioribus editionibus turpiter interpolatum tractavit in Opusc. Acad. I. p. 449 seqq. Pace tamen viri summi dicam nondum sanatum videri. Nam, etsi oculi somno vel crapula

---

[1] Non magis placet hoc verbum in fragmento e Varronis Bimarco p. 485, 1 Merc.: *Quum novissime mutaret, quantum sumpti fecerit.* Lipsius coni. *mutitaret*, Quicheratus *mutiret*. Utrique praefero *putaret*, quod et computandi et reputandi vi veteres dixerunt.

graves noti sunt ex Orat. post red. in sen. habita, 13 et Sen. ep. 122, 1, *gravitas* tamen, de qua hic agitur, non est in oculis, multo minus in oculo, sed sedet in ore vultuque. Tum, vultus frontisque mentione facta, inepte oratio redit ad supercilium, de quo satis dictum erat. Postremo post gravius voc. *pignus*, de eadem re levius *vas* male sequitur. Quid ergo? *oculo* ortum est e *voltu* (nam hac forma nominis Cicero usus videtur. Cf. Corssen, über Aussprache etc. I p. 260), post *illo* grammaticus e praegressis stulte inculcavit *supercilio*, et ordo verborum *ille annus illo* casu inversus est. Nam quum annus quo Piso et Gabinius consules fuerunt, in hac oratione semper *ille annus* dicatur (cf. § 15, 55, 58, 62, 71), non erat cur hoc uno loco *annus ille* nominaretur. Si mecum legas: *Tanta erat gravitas in voltu, tanta contractio frontis, ut ille annus illo niti tanquam vade videretur* melius apparet, quomodo Valerius Probus hinc sumpserit, quae ut Ciceronis citat *vultu tanquam vade*, quum putaret *illo* non de ipso Pisone, sed de eius gravi voltu dictum esse, neque verendum est ne quis cum Bakio in Schol. Hypomn. I p. 64 totam sententiam, de qua disputavimus, inepto rhetori tribuere velit.

XIV. 1, 1. In adnotatione ad verba: *in sermonem se — praeterquam Lepido venisse nemini*, negavi in fragmento Orat. in toga candida p. 98, 18 Asconii Orell. Ciceronem scribere potuisse *cum Cn. Pisone socio neque alio nemine*. Non memineram verba egregie correcta esse a I. F. Gronovio, cuius emendationem protulerat S. H. Rinkes in Mnemosynes vol. XI p. 194: *cum Cn. Pisone socio, ne quem alium nominem*. Merito ita ediderunt novissimi Asconii editores Kiesslingius et Schoellius p. 82, 26.

XIV. 2, 3. *Aiebat* (sc. Matius) *Caesarem secum — dixisse*. Si Caesar haec secum dixit, Matius non audivit. Si *secum* referas ad Matium, subiectum verbi *aiebat*, ineptum est. Suspicor post *Caesarem* omissum esse propter litterarum similitudinem *coenantem*. De locutione dixi supra p. 34.

XIV. 3, 2. *Tu, si quid pragmaticum habes, scribes*. Quod prima manus Med. dedit *habere scribises* facillime sic corrigitur *habes, rescribe sis*, ut Baiterus in adn. crit. proposuit. Sed neque cur Ciceroni hic *rescribe* usus sit apparet, neque *sis* pro *si vis* a poetis usurpatum (Orat. 154), et in iuvenili Ciceronis orat. p. Rosc. Am. 48 positum, seni excidisse videtur. Verum puto: *Tu si quid pragmaticum* (ↄ: quod ad rem publicam pertineat) *habebis, scribes*.

XIV. 6, 1. *Pridie Idus Fundis accepi tuas litteras coenans. Primum igitur melius esse, deinde meliora te nuntiare*. E praecedentis epistolae initio videmus Atticum febricula laborasse. Deinde nuntiarat Ciceroni sibi melius esse, simulque meliora de rebus publicis. Sed quis credat Ciceronem scripsisse: *Primum igitur melius esse?* Cur maluit tam obscure scribere, quam aperte gaudium suum enun-

tiare ob bonum nuntium? Ni fallor, in otioso *igitur* verbum latet. Omnia expedita erunt, si scripseris: *Primum mi gratum* (*tibi*) *melius esse, deinde meliora te nuntiare.*

XIV. 13 A, 3. *Contumaciae.* Non debueram sollicitare hanc vocem. Contumacia tribuitur ei qui superbe et arroganter alium contemnit, itaque respondet verbis: *non quo contempseris hanc familiam.* Quando Cicero in suo responso § 4 scribit: *Si viveret* (P. Clodius), *mihi cum illo nulla contentio iam maneret*, nihil aliud dicit, nisi hoc: ego in eum non essem contumax.

XIV. 14, 2. *Nonne omni ratione veterani — defendendi fuerunt?* ɔ: Nonne omnia quae Caesar veteranis concesserat, senatus decreto confirmari debuerunt, ne illi offenderentur? Noli cum Cobeto in Mnemosynes N. S. vol. VII p. 16 voc. *defendendi* corruptum putare. Habet h. l. vim arcendi, repellendi, ut saepe. Cf. versus ex Ennii Achille: *Serva cives, defende hostes, cum potes defendere; defendere iniuriam, vim illatam, pericula* in Ciceronis orationibus passim, et Gellii N. A. IX. 1 extr.

XIV. 14, 2. *Quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime.* Eadem orationis forma p. Rosc. Am. 2 *Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? Minime.* p. Caec. 56 *quid ergo? isti homines latine non loquuntur? Immo vero tantum loquuntur, quantum est satis ad intelligendam voluntatem.* Noli cum Handio in Turs. II p. 459 interrogationis signum tollere post *ergo*, aut ex iis, quae adnotavit Bentleius ad Hor. Ep. ad Pis. v. 353 putare scribendum esse: *Quid ergo est?* cet. Nam diversam vim habent *quid ergo?* sequente alia quaestione, et *quid ergo est?* quo eum qui audit vel legit attentum facimus ad ea, quae sequuntur. Cf. Fam. V. 10a, 2. X. 23, 1.

XIV. 18, 1. *Praesertim quum se maximo aere alieno Faberii manu liberarit et opem ab eo petierit.* Si Cicero ita scripsisset, certe non addidisset: *licet enim iocari.* Nam in iis nihil ioci adest, quin ultima satis frigide superioribus adduntur. Iocum ingeniose Ciceroni reddidit Cobetus in Var. Lect. p. 460 ed. sec. corrigendo: *et opem ab Ope petierit.* Dolabella in re angusta auxilium quaesivit auferendo pecuniam ad Opis depositam. Cff. ll. ll. e Philippicis et h. l. 14, 5.

XIV. 20, 3. *Qui rem publicam putem pendere e Bruto.* Med. *pendere Bruto.* Victorius et Cratander de coni. *pendere in Bruto.* Male. Veteres non solum ubi sermo est de rebus, sed etiam ubi agitur de hominibus, a quibus aliquid suspensum est, quibus non salvis aliquid non potest esse salvum, scripserunt *pendere ex aliquo.* Cf. Fam. VI. 22, 2 *incolumitati tuae tuorumque, qui ex te pendent, consulas.* Senec. de brev. vitae 5 *qui omnia videbat ex se uno pendentia.* Catull. c. 74, 69 *toto ex te pectore — pendebat*, vel *de aliquo*, ut in Horatii ep. I. 1, 105 *de te pendentis — amici.* In Quintiliani I. O. XI. 3, 72 ubi agitur de

vultu pro *hoc pendent homines*, vel *ex hoc* scribendum vel cum Spaldingio *hinc pendent h.* corrigendum est.

XV. 4ª, 2. *Excisa enim est arbor, non evulsa; itaque quam fruticetur vides.* Citantur haec verba a Nonio Marc. p. 479. Quicheratus male ibi edidit *avulsa.* Arbor exciditur, quando radices in solo relinquuntur; evellitur, quando radicitus e solo eruitur vel exstirpatur. Ex arbore frondes, poma, rami avelluntur; ipsa non avellitur. Cicero autem hoc dicit Caesarem esse necatum, sed tyrannidem non sublatam, novosque subnasci Caesares.

Ibidem. *Redeamus igitur, quoniam saepe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Saufeium de te celemus; ego nunquam indicabo.* Sic edidi, et post me Klotz. in ed. alt. Baiterus et Wesenbergius scripserunt e Med.: *Saufeium pete celemus*, indicantes *pete* esse corruptum. Nuper O. Schmidt in Museo philol. Rhen. vol. XXXV p. 315 scribi iussit: *Saufeium petis celemus.* Non credo verum ab eo esse inventum. Post *redeamus*, quod Cicero de se et de Attico posuit, *celemus* non de solo Cicerone dici potest, sed in verbo vitium latet. Scribendum est: *Saufeium de te celem ris*, cui aptissime subiicitur: *ego nunquam indicabo.* Cf. eiusdem constructionis exempla Att. XVI. 11, 8. Fam. VII. 13, 2. IX. 21, 2.

XV. 4*a*, 4. *Misi dedita (opera).* G. Landgraf in disp. de Cic. elocutione in or. p. Quintio et p. Rosc. Am. (Wirceburgi 1878), p. 25 negat *opera* recte addi, quoniam *unā*, *eādem* apud comicos simili ellipsi dicuntur, et in Pauli exc. e Festo p. 70 *dedita* explicatur. Sed haec argumenta nihil probant. Cicero qui semper alias scripsit *dedita opera* (cf. in his epp. VIII. 14, 1; X. 3; XI. 8, 2; *data opera* Coelius Fam. VIII. 1, 1), hoc uno loco non aliter scripsit, sed *opera* ante *erat* a librariis neglectum est. Ne comici quidem *dedita* simpliciter pro *dedita opera* usurparunt.

XV. 11, 4. *Vota dissolvere.* Frustra hoc sollicitavi. Ut *dissolvere* ponitur pro *debitum solvere* XVI. 15, 2 eademque sententia *nomen dissolvere* et *pecuniam dissolvere* Planc. 68 et Verr. Act. II. 3, 174, sic *vota dissolvere* h. l. dictum est ut in Catulli carm. 66, 38 *pristina vota novo munere dissoluo.* Cf. Valckenaerius ad elegiam illam p. 126 ed. Io. Luzac, L. B. 1798.

XV. 13, 5. *Sese de attributione omnia summa fecisse. Omnia summa facere* vel, ut est in Lucilii fragmento e lib. XXVII apud Nonium p. 88 et 382, *summa omnia facere* est nihil negligere, accuratissime agere. Eadem locutione Cicero usus est de Orat. II. 85.

XV. 27, 1. *Quod Puteolos prosequitur.* Wesenbergius cum Crat. et Vict. edidit *persequitur* ɔ: me sequitur, quum *prosequi* ɔ: comitari ab h. l. alienum putaret. Non assentior. Scripsit Cicero hanc epistolam in Arpinati; cur Sestius non poterat polliceri se cum Cicerone Puteolos profecturum esse? Id autem inest

in v. *prosequitur*. Sestius volebat prosequi sive comitari Ciceronem Puteolos petentem.

XV. 29, 1. *Quod non solum mea verum etiam tua me expedis gratum.* Vitium, quod in his inest, non sustulit L. Mendelssohn in Actis soc. phil. Lips. I. p. 407 coniiciendo *tuamet*. Nam quod Salustius et Livius encliticum *met* etiam pronominibus possessivis addiderunt, non facit ut Tullio idem usus tribuendus sit. Magis probo Baiteri suspicionem post *tua* intercidisse *causa*. Sic *me expedis* est „res meas explicas, efficis ne in aere alieno haeream."

XVI. 1, 3. Recte recentiores editt. receperunt Ernesti transpositionem verborum et sic scripserunt: *Meam profectionem laudari gaudeo: videndum est, ut mansio laudetur. Dymaeos agro pulsos mare infestum habere nil mirum.* Ita facile tollitur scrupulus, qui me pungebat in verbis *Dymaeos — habere.*

XVI. 7, 1. *Stadia circiter CCC.* In spatio cursus maritimi definiendo veteres per stadia computabant. Cf. Fam. XVI. 2. Acad. II. 100. CCC stadia efficiunt quatuor milia passuum. Propterea Cicero eandem rem narrans in Phil. I. 3 affirmat se *non ita multum provectum* austro reiectum esse in eum locum, unde conscendisset.

XVI. 11, 1. *De Sica ita est, ut scribis; ab ista aegre me tenui. Ab ista* ɔ: a Septimia, Sicae uxore infideli, mihi debetur, quum in Med. *asta ea*, in Torn. *aste* pro iis scriptum sit. Praefero hanc emendationem coniecturae Lambini, quam Madvigius in libello supra laudato ad I. 18, 2 defendit, *a Fadia aegre me tenui.* Movet me quod ex *asta ea* facilius eruitur *ab ista*, quam *a Fadia*, multoque magis quod in loco orationis secundae in M. Antonium, quo Cicero hic respicit, § 3, de familiaris sui Sicae uxore plane siletur, at Q. Fadii filia aperte designatur ut Antonii liberorum mater.

CAPUT IV.

Ciceronis et Bruti epistolae paucis in locis temptantur.

I, 2, 3. *Quod scribis de seditione, quae facta est in legione quarta, de Catoniis — magis mihi probatur militum severitas quam tua.* Post ultimum voc. excidisse *clementia* vel *lenitas* Wesenbergio merito placuit, et pro inepto *de Catoniis* C. F. Hermannus (zur Rechtfertigung der Aechtheit des erhältenen Briefwechsels zwischen C. und Br. I. p. 36) feliciter restituit *fraude C. Antonii.* Sed legionis quartae mentionem hinc alienam censeo, quod illa legio tunc in Italia erat, et quod Cicero, si hoc voluisset, scripsisset: *de seditione legionis quartae.* Quum autem Dio eandem rem narrans memoret *τὰ στρατεύματα στασιασθέντα οἱ* (Bruto) *ὑπὸ τοῦ Ἀντωνίου*, XLVII. 22, vide ne scribendum sit *in legionum castris*, potius quam quod Hermannus coniecit *in legione quadam tua.*

I. 4, 3. *Nunc, Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cuiusque mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius.* Praeclare Cobetus pro *nunc agendum* scripsit *nunc carendum*, sed idem obscuritatem sequentium verborum non sustulit mutando *excidendi* in *excidium.* Nam si primum quodque malum excisum est, ex eo non necessario renascitur aliud maius malum. Ego aliquando putavi sedem vitii in v. *semper* esse quaerendam, nunc assentior doctissimo collegae C. M. Francken maiorem esse lacunam, quam ille sic implevit, ut sententia oriretur probabilis. Itaque haec sic legamus: „Nunc Cicero, nunc *carendum* est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cuiusque mali exci (*si gaudium alterius neglig*) endi causa sit, ut aliud renascatur illo peius."

I. 12, 3. *Ciceronem meum propediem, ut spero, videbo; tecum enim illum † et te in Italiam celeriter esse venturum confido.* In hac codicis Med. scriptura a Wesenbergio servata, sed improbata, nihil delendum, sed ante *et te* inserendum est *esse*, propter litterarum similitudinem a librario neglectum. Nam nimis dure Ciceronem scribentem faciunt, qui cum Hermanno in Vindiciis p. 46, n°. 104 verba sic tuentur, ut spem de filii adventu cum Bruto et de huius adventus celeritate coniungere voluisse dicant.

I. 13, 2. *Intuere me ipsum*, scribit M. Brutus, *qui hoc a te, vel a Cicerone coniunctissimo homine privatim, vel a consulari viro remota necessitudine privata debeo impetrare.* Recte scripsisset: a te, vel amico privatim, vel consulari viro —

debeo impetrare; non recte si scripsit *a te*, ei subiunxit, *vel a Cicerone — vel a consulari viro.* Offensam tollemus parva mutatione: *qui hoc* CERTE *vel a Cicerone — vel a consulari viro — debeo impetrare.*

I. 16, 2. *Iuvat enim magnifice loqui et certe decet adversus ignorantes, quid pro quoque timendum aut a quoque petendum sit.* Brutus haec non scripsit ad plures, sed unum Ciceronem alloquitur. Itaque ei reddamus suum *adversus ignorantem* ɔ: adversus te, qui ignoras.

II. 5, 2. Postquam in priore epistola declaravit se in Bruto paulo maiorem severitatem desiderare, qua ille usus non rege solum, sed etiam regno remp. liberasset, Cicero creditur haec addidisse: „*exstitisti nuper vultu severo; exercitum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti.*" Non videntur haec offendisse eos, qui epistolas has spurias pronuntiarunt. Quod valde miror; nam insunt quae vix possint probari. Cur Cicero scriberet: *exstitisti vultu severo* et non potius *mente severa* vel *animo severo?* quasi vero Brutus ante semper vultum lenem ostendisset, nunc subito eum mutasset. Cur non contentus fuit locutione usitata et perspicua *exercitum comparasti*, aut si verbis id exornare volebat *legiones, auxilia, copias comparasti*, ut scripsit ad eundem Brutum II. 2, 1? Nonne inepte post exercitum nominat *legiones idoneas?* quasi exercitus non legionibus constaret. Itaque aliter a Cicerone scriptum videtur, sed nondum inveni quod mihi satisfaceret. Afferam tamen quid in mentem venerit: *Exstitisti nuper paullo severior; equitatum, copias, legiones idoneas per te brevi tempore comparasti;* sed si quis faciliorem emendationem protulerit, libenter amplectar.

II. 5, 3. *Ecce tibi Idib. April. advolat mane celer Pilus.* Adi. *celer* nec cum verbo *advolat* iungi potest — nam primum opus esset adverbio, tum celeritatis notionem, quae in ipso verbo inest, si Cicero augere voluisset, scripsisset *incredibili celeritate*, ut fecit in Sestiana, 11, vel simile quid — nec potest esse attributum nominis *Pilus.* Fortasse est Pili agnomen, ut fuit Q. Metelli. Quod si probatur, scribendum *Celer Pilus.*

INDEX RERUM ET VERBORUM.

Typis
De Roever-Kröber-Bakels.